6
13-d
58

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
9 F
49

[illegible] by Google

6-13-2-58

Digitized by Google

DE POEMATE

LIBRI TRES

AD USUM

Familiarem & Chriſtianum
Accommodati.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
... EMANUELE

BURDIGALÆ,
Apud J. MONGIRONEM-MILLANGIUM,
& SIMONEM BOE', viâ Jacobeâ.

M. DC. LXXXII.

Cum Privilegio Regis.

6-13-2-58

Digitized by Google

DE POEMATE

LIBRI TRES,

AD USUM

Familiarem & Chriſtianum Accommodati.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA ... EMANUELE

BURDIGALÆ,

Apud J. MONGIRONEM-MILLANGIUM, & SIMONEM BOE', viâ Jacobeâ.

M. DC. LXXXII.

Cum Privilegio Regis.

Digitized by Google

CELSISSIMO PRINCIPI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FERDINANDO FURSTENBERGIO,

EPISCOPO MONASTERIENSI AC PADERBORNENSI.

QUO tempore nova magnificaque adornatur Poematum nobiliſſimorum editio, percommodè accidit, CELSISSIME PRINCEPS, *ut inſtitutio prodeat hæc poëtica, quam ſubinde tantis exemplis operum tuorum præſtantia confirmet, elegantiaque ſingularis. Admirationi quidem illa potiùs, quàm imitationi proponenda veniunt, abſolutiſſima & omni*

laude cumulata ſcriptoris auguſti monumenta: quorum ex avida inſatiabilique lectione contingat, peritiſſimorum hominum ſimul ingenia perfundi ſuavitate, ſimul deſperatione animos infringi. At eadem ita nitoris aſpectu blandiuntur, ut quæ vel exercitatiſſimos artifices conturbent ac terreant, rudiores etiam ſubſequendi cupiditate alliciant.

Quòd ſi tam excultis perfectiſque illis operibus noſtra tamen qualiacunque carmina, quibus ipſe materiem præbuiſti, ſubjungere Adoptivorum nomine dignatus es, FERDINANDE, *Principum Eruditiſſime atque Humaniſſime; haud ſanè vereor, ut hosce de Poëmate libellos felicibus auſpiciis Tuæ Celſitudinis proferri in lucem patiare. Ac licèt non eo ſplendore & ornatu ſeſe efferant, quo majora Poëſeos noſtræ volumina regalis tua beneficentia produxit; inornata certè, ingratáve pagina rei poëticæ amantibus eſſe non poterit, quæ magnum iſtud, colendumque litteratis præſertim omnibus, nomen ſibi præſcripſerit.*

An verò temere facio, qui te ſacris civilibuſque curis maximis occupatum, & Imperii totius, ac finitimarum gentium multiplici motu diſtentum interpellare audeam?

Sed ea nimirum tuæ mentis amplitudo eſt, CELSISSIME PRINCEPS, *nullâ ut negotiorum vi perturbetur; rémque publicam ſic geras fortiter ac ſuaviter, ut otii partem & quietis numeres poëticum laborem. Non excurram hoc loco in commendationem Poëtices; quod cùm ab aliis ſæpe, tum à me non ſemel factum eſt inter debita laudum tuarum præconia; ut artem dignam Principibus, idoneamque rerum & divinarum & humanarum tractationi demonſtrarem. Nihil profectò manſuetiores, quas vocant, Muſas Politicæ, cui ſubjiciuntur, detrahere, ſed veriùs addere cum jucunditate gloriam, ſplendidè adminiſtratio tua comprobavit.*

Quâ tu ſapientiâ & autoritate Dynaſtas populoſque inter ſe honorarius arbiter compoſuiſti! Quàm ſtrenuâ vigilantia ditionem ampliſſimam tueris, ut non mentem charitatemque in Monaſterienſes diviſiſſe & Paderbornenſes videare, at planè ſingulis te partibus ſolidum addixiſſe! Quàm incenſo ſtudio, quàm eximiâ ſollicitudine & ſolertiâ, pari munificentiæ conjunctâ, religionem Catholicos inter ac Lutheranos aſſiduè propagas exornaſque! Verùm tot illa decora, & merita

longè latèque diffuſa , quæ pluribus à me locis jamdudum perſtricta ſunt, nec capit nec perſequitur epiſtolæ brevitas. Recentius hoc tamen omnino præterire non poſſum ; quantam animi, conſilii, virtutis præſentiam explicueris ; ubi ſub ipſam Monaſterienſis principatûs aditionem importuna febri implicitus, copias militares, velut caducam hereditatem involantes, repreſſiſti ; ſocialis belli ſpeciem diſcuſſiſti ; Proceres nonnihil machinari viſos, ad jus officiumque compuliſti.

Quonam verò Divinæ Providentiæ conſilio factum dicam, FERDINANDE, *ut cùm lætiſſima omnia pro tuis egregiis virtutibus rebuſque præclarè geſtis mereare, frequentibus incommodis morborum acerrimiſque doloribus conflictêre ? Opportunam videlicet ingenti exaggeratoque animo materiem ſuggerit exercendæ inſignis conſtantiæ ac religionis ; quâ, cùm florentiſſimis honoribus emineas inter homines, ſanctè integréque te ſummo rerum Moderatori ſubmiſſum & obſequentem exhibeas. Id adeò accepimus teſte locuplete , perilluſtri viro ; nunquam te*, PRINCEPS OPTIME, *altiorem extitiſſe, quàm cùm periculoſiſſimè nuper decumberes ; jamque*

depoſitus , jam deploratus , fragilitatis humanæ pariter ſupremæque virtutis documentum ederes immortale.

Majórque jacens apparuit *Heros. Ita piè ſapientérque cuncta diſponebas; ita fortiter ac tranquillè mortem expectabas! Atenim ſatis illi benigniſſimæ Providentiæ fuit animum tuum explorare; populos tibi ſubditos, clienteſque alios tuos, omnes ubique gentium eruditos, intentato damno graviſſimo admonere & excitare. Acuit nempe amorem timor: chariſſimiſque capitibus ipſum carendi periculum, commendationis fit pretiique acceſſio.*

Nec modò quàm ſis charus mortalibus, extremum diſcrimen oſtendit; ſed etiam Superis quàm gratus acceptúſque, docuit; cùm te ex ipſis lethi faucibus cœleſtis opera eripuit Xaverii Thaumaturgi; quemadmodum paucis antè annis ex mediâ itidem morte Diva te Lucia revocarat. O te Divinis extraordinariiſque beneficiis digniſſimum, Ferdinande Princeps, *qui tam effuſâ cœlum terraſque largitate comprehendis! Dona donis evocas: & quæ ſupplex votis elicuiſti, memoris piique animi non ſimplici teſtificatione, ſed luculentis perennibuſque conſecras monu-*

mentis. Hinc, Soteriorum nomine, templum Indiarum Apoſtolo ſumptuoſum, illius in te certiſſimæ benignitatis pretium, tuæ in illum gratiſſimæ venerationis argumentum, excitas Paderbornæ. Hinc Luciæ, virgini purpuratæ (uti jam olim D. Agathæ, patriâ, pudicitiâ, fortitudine, ope mirificâ, cum iſtâ ſervatrice tuâ conjunctiſſimæ; ut aliis tot Cœlitibus jamdiu præſtiteras;) extructis aris cultum ſolennem amplificaſti; debitam gratiam edito carmine pulcherrimo celebraſti. Cui me carmini ſuo tempore ſuccinentem cùm amicis auribus exceperis, Celsissime Princeps; *nunc quoque haud injucundum fore confido, ſi illius Euchariſterii, quod à te nec ſemel, nec ſine voluptate lectum ſcribere non es gravatus, clauſulam hîc appoſuero: ut & redditam denuò tibi ſalutem gratuler; & hanc meam epiſtolam, nuncupationemque opuſculi de Poëmate, poëticè obſignem.*

At tu jam populis, trepidæ jam redditus Aulæ;
Divûm adytis, Vatumque choro, FERNANDE, clientis
Accipe non ingrata pio munuſcula cantu,
Et proprio aſſertæ dono lætare ſalutis.
Rite memor factis geminandum illuſtribus ævum,
Pone tamen curiſque modum, requiemque labori;

Mole ſub immenſâ rerum, Europæque tumultu,
Otia diſtrictæ indulgens nec-inertia menti,
Corporis & fractas morbo reparantia vires.
Quamvis torva fremat circùm Bellona, Camœnas
Semper ama, nulloque infectas ſanguine lauros;
Et qui, regnorum media inter claſſica, votis
Concordes pro te certant, audire Poëtas
Perge volens, ſenſuſque tuos, tua dona tueri;
Magnifica æterni, PRINCEPS, documenta
favoris.

CELSITUDINI TUÆ

Addictiſſimus
LEONARDUS FRIZON
Societ. Jeſu.

OPERIS
DESIGNATIO
Variis cum Obſervationibus ad Artem Moreſque ſpectantibus.

CUM Artem Poëticam ſanè multi præſtantes ingenio & eruditione viri tractârint ; alii naturam ejus universè , ac ſpecies varias perſecuti; alii partem aliquam ſingulari ſtudio curáque complexi : ad uſum tamen opportunitatémque rudiorum neutri ſatis egiſſe mihi videntur. Nam qui generalem inſtituêre diſputationem ; ii ferè , aut altiùs elati , parum ad ſcriptionem familiarem deſcendêre; aut latiùs vagati, mentes adoleſcentium omnigena do-

ctrina confundant, atque ipſa librorum mole obruant. qui verò certam intra ſpeciem carminis conſiſtere maluerunt, eatenus dirigere tirones poſſint; ad cetera imparatos & inermes reliquerunt. Quamobrem operæ pretium fecerit, qui viam inexercitatis aperuerit, nec arduam ſpiníſque obſitam, at mollem & explicatam; neque in unicum velut angulum intentam; ſed commodè patentem, quæ in mediam quaſi regionem pertineat areámque Poëticarum exercitationum. Id ego mihi tentandum pro mea tenuitate duxi; ut, omiſſis quæſtionibus jam protritis ac pervulgatis, ideoque otioſis & ſupervacaneis, præcipua quædam capita juſtis diſſertationibus exequar; in reliquis præcepta breviter ſummatimque ponam; ſubinde rem totam exemplis illuſtrem & plurimis & lectiſſimis.

Ac quoniam Heroicum maximè genus celebratur; iſtius præſertim generis culturam ſpectabit hæc mea tractatio: ſic tamen, ut Oden, Elegiam inſtruat; Poëticam omnem, quantum inſtituti mei ratio fert, communi quadam luce perfundat. Tragœdiæ quidem & Co-

mœdiæ ſtructuram non movebo univerſam, quæ longioris eſſet diſceptationis; & verò his temporibus copiosè ac præclarè Latinis Gallicíſque litteris agitata eſt. (De materia ambarum, perſonis, decoro, peripetia, machina, tempore, dictione, prologo, epilogo nonnihil aſpergam: Iambeï demum tragici formam & artificium pertractabo.) Epopœiam, perinde clariſſimis utriuſque linguæ diſcuſſam ornatámque monimentis, ex ingenti campo in brevem gyrum ita contraham; ut ſpeciem illam eximiam Iliados, Odyſſeæ, Æneidos, ad minora opera deducam, & ſpectabilem parabilemque vel pueris diſciplinæ capacibus exhibeam.

Quo in genere mirum eſt, vix ullum ex tota nobis antiquitate ſpecimen exemplarque ſuppetere Poëmatis Epici, tanquam in compendium vocati, ac ſuis omnibus diſtincti partibus, & numeris abſoluti: ut inductione probatum eſt ſub initium libri II. Cujus verò cunque ſint formæ, ſi modò proba in ſuo genere poëmatia, ſuum illis pretium decuſque conſtat. Quin hoc verè dixerim, haud leviorem ex compluribus iſtiuſmodi opuſ-

culis

culis honorem fructúmque colligi poſſe, quàm ex amplo ingentique poëmate. *Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro*, ſatyris ſex, *meruiſſe Perſium* Fabius teſtatur; ac Martialis eundem in eo *libro uno, quàm in tota Marſum Amazonide, ſæpius memorari.* Non hîc ego recentiores inter ſe invidioſiùs committam: ne Horatium quidem adducam, non Tibullum & Propertium; quorum non univerſis modò carminibus, ſed illius odis propè ſingulis, horum elegiis, vaſta multorum Poëmata longè conceſſerint. non Ovidium producam, ſegregatis fortaſſe Poëmatiis ſuis, quàm ipſo Metamorphoſeon corpore clariorem. hærebo in uno, de quo dicere inſtitueram, genere: Epica ſecum, aut Epicis quàm-ſimillima comparabo. An verò Thebaide ſuâ Statius commendatior, quàm Silvis? & Claudianus nónne Panegyricis variis celebratior, quàm majuſculo opere de Raptu Proſerpinæ; quàm Silius de Bello Punico, quàm Valerius Flaccus perpetuo de Argonautis poëmate?

Hanc igitur partem ſcriptionis excolant viri, quos ad ſumma natos, & ſe-

rendæ operum graviorum moli pares; aut otium defecit, aut alia cauſa à longiori labore avertit.

Nec merito *inferior*, muſæ *nec honore recedes*,

quiſquis frequentia ſic edes opuſcula, ut in iis conſtanter illa, quam Horatius loquitur, amica Naturæ Artiſque conjuratio eluceat. Ad hanc ſe laudem exerceant potiſſimùm adoleſcentes: quibus quod offerri ſplendidius poſſit exemplum atque incitamentum, quàm florentiſſimus Princeps Juventutis? Perſonat adhuc Gallia feſtis plauſibus, quibus præeunte Lutetia, BORBONIUM DUCEM in ampliſſimo theatro legitimè ſolenni poëſeos præmio donatum celebravit, avitis paterniſque ingredientem Condæi & Enguinei veſtigiis; Academicâ laureâ, bellicis aliquando referendis victoriis ac laureis triumphalibus magnificè præludentem.

Exemplis tantis & auſpiciis poëtica ſtudia nobiles ingenuique adoleſcentes arripiant; neque has commentationes noſtras, crebrâ veterum lectione multoque uſu partas, fruſtra oblatas ſibi patiantur. Quarum ut proſpectum habeant,

jam totius operis delineationem in hoc aditu proponam.

Liber I. Materiem, Formam & Inventionem Poëticam diſſeret.

II. Diſpoſitionem, Parteſque evolvet.

III. Dictionem Poëticam, Structuramque verſuum, cum metrico Numero, exponet. Ita præclaro operi conficiendo neceſſaria opportunaque labor hic noſter omnia ſuppeditabit; orationes, deſcriptiones, ſimilitudines, epitheta, ceteraque ad ornatum requiſita, frequentiſſimis adjunctis obſervationibus perſequetur: & ſingula poëmatis membra fingendi, & omnia in unum coagmentandi corpus, artem edocebit.

Atque hoc nominatim perutile pérque-commodum occurret, quòd res non paucas, antiquis incognitas, necdum ſatis uſu Latino tritas, molliet, poëticè ornatéque de iis agendi ſubminiſtratâ copiâ. Tum, quòd caput eſt, ubi pro quæſtionis gravitate diſſeruero atque evicero, ſplendidè cum Poëſi piis argumentis Chriſtianiſque myſteriis convenire; variam de iiſdem cum dignitate & jucunditate poëticâ dicendi rationem & quaſi venas aperiam. Nonnulli qui-

dem alii de caſtæ piæque Poëſeos laude & conſectatione ſcripſerunt ; de ratione ipſa ſcriptiones adornandi ſacras, nemo, quod ſciam, niſi ſtrictim, leviùs certè quàm oportuit.

Actum igitur non ago ; ſed novam Poëticen in medium produco ; ſic familiarem, ut ad ſumma ſe intendat argumenta ; neque brevium duntaxat opuſculorum concinnationi, ſed & ampliſſimorum molitioni poëmatum accommodatam : Chriſtianam denique Poëticen, quæ artem retineat integram, ſolas ineptias & impietatem rejiciat profanæ vetuſtatis. Multa è ſacroſanctis litteris ad poëſin facientia ; allegorias, proſopopœias, exempla adduco : ſententias aliquot difficillimas, huic materiæ affines, oraculaque auguſtis libris condita interpretor : Eccleſiaſticæ hiſtoriæ pulcherrima documenta, Sanctorum Patrum Doctorumque pronunciata quædam inſignia ſuggero : ac demum pro inanium deorum pudenda execrandaque farragine, anilibus ſtolidiſque fabulis, ſolida veréque Divina indico & offero. Unde adoleſcentuli ipſi rerum altiſſimarum notione imbuantur univerſâ, copioſa-

que ſupellectili inſtruantur ad cœleſtia ſuaviter magnificéque elaboranda. Quæ omnia ſat intelligentur ex argumentorum, & rerum præcipuarum, operi intextarum, duplici Indice: ſed eadem pleniùs ac diſtinctiùs ex ipſa librorum evolutione cognoſcentur.

Jam verò non ſiccam jejunamque inſtitutionem affero; ſed Tullii in Oratore, Quintiliani in Oratoriis inſtitutionibus, more modóque conformatam. Et artis Rhetoricæ capita quædam, Poëticis cognata, delibo. cúmque Grammatica nonnulla tangere haud recuſarim, in gratiam Academicæ juventutis, cui primùm hæc ſuſcepta fuerat opera: id ſum efficere conatus, ut parvis fortaſſe rebus & inamœnis, at neceſſariis, honeſtatem cum feſtivitate aliquam ipſo dicendi genere notíſque variis conciliarem. Quanquam, ut Plinius ait, *res ardua, vetuſtis novitatem dare, novis autoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam.*

Nec Ariſtoteles, dictionem poëticam minutè & primis ab elementis perſequi, indignum ſe habuit. Quid Cicero? quàm enucleatè vel de contractione no-

minum & verborum diſputavit ! de pedibus, de litteris etiam ſingulis, totóque oratorio numero, poſt Ariſtotelem quàm copiosè ! Fabius demum quid omiſit, jam uſque ab infantia tirunculos ad eloquentiæ faſtigium provecturus? Ac plurima poſteriores hi duo, purgandi quodammodo probandique tam ſubtilis artificii cauſâ, bellè dixerunt; quæ ſatis eſt indicaſſe. Neque ego diutius in illis dumetis hæſi: proſodiam ſyllabarum, neceſſitatem pedum quæ ſpectant, ubique obvia non attigi. majoribus inſtiti præceptis elegantiæ: iiſque tradendis haud nudam & prorſus incomptam brevitatem ſecutus, quæ ſervanda ſignarem, exercere volui. Concitavit ipſa nonnunquam res orationem, gravioribus diſſertationum locis, atque iis potiſſimùm partibus, quæ mores contingunt.

Eſt illud *plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris*; inquit naturalis hiſtoriæ ſcriptor: additque, *conferentem autores ſe deprehendiſſe à proximis veteres tranſcriptos ad verbum, neque nominatos*. Æquales autem ipſos, non modò veteres, quàm ſæpè exſcriptos vide.

inus tacitis nominibus; & poëtas; & poëticæ magiſtros! Ego verò quæ mutuò ſumpſi vel ad autoritatem, vel ad ornatum, ſuis omnia autoribus nominatim aſſignavi; unum ſi excipias anonymum in collectione Italorum Poëtarum. De recentioribus loquor: nam veteres, ſat cognitos, interdum non appello; maximè ubi dictum aliquod breve, & ſolutæ immiſſum orationi.

Ergo quibus aliis carminibus nomen autoris non eſt appoſitum, eorum in me culpam omnem recipio. Pleraque ex libris jam editis decerpta, ſed frequenter aliquâ in parte mutata; non tam correctionis, quàm varietatis gratiâ; mecúmque ut ipſe certarem, qui ceteris concedere libens & deberem & vellem. Nonnulli ex ſuperioribus editionibus, unde aut neglectu, aut caſu, aut judicio in ultimâ exciderant, hîc reſtituti verſus, aut novi penitùs inſerti: quidam cum alluſione ad principes poëtas, & apertâ & quaſi profeſſa imitatione. Quam ſtrictæ ſolutæque orationis miſturam ſi quis reprehendat, idem Terentium arguat Varronem, Romanorum illum eruditiſſimum; idem Sene-

cam philoſophum, & utroque majorem Boetium: qui pariter, cùm ad ſuam ipſi, tum ad lectorum voluptatem, clariſſimis in operibus utramque contexuere orationem.

Nunc ad autores ut revertar à me compellatos; eorum diverſa ratio producendorum fuit, diſſimiliſque productorum tractatio. Antiquos enim potiſſimùm doctrinæ ad conſtitutionem; recentes, tametſi jus iis aliquod ſuffragii tribuendum ſentiam, honoris ergò citavi. Aliis de me, ſeu privatâ benevolentiâ, ſeu laudatione publicâ, bene meritis reddidi mutuam vicem; aliis debui ſolo vel eruditionis, vel pietatis merito. Neque exiſtimabor, credo, circa hos *ambitione labi: quippe de mortuis:* quod in ſimili causâ dixit Orator. Utrorumvis, antiquorum, recentium, laudanda carmina conquiſivi labore & delectu, quàm mea, majore. tria paululum inflexi: contrahendo nihil detraxi; mutando nihil corrupi. Duo ſunt ad calcem operis annotata in Additamentis; tertium hoc eſt,

Quæ juvenes didicêre, ſenes perdenda fateri;

ex illis Horatianis conflatum: *& quæ imberbes didicêre, ſenes &c.* quo tornatum abſolutumque carmen, orationi cui adhibebatur, convenientius molliuſque procederet. Locis aliquot propoſitis verſus non neceſſarios, partim ad brevitatem ſubduxi, partim ad facilitatem: quæ utraque cauſa imprimis valuit in Propertianâ de Actiaco prælio elegiâ; & amplâ, & alicubi rudioribus moram moleſtiamque objecturâ. Idem feci nonnunquam in ſoluta oratione, proferendis autorum ſententiis, voces ut aliquas aut difficiles aut inutiles prætermitterem (uti in proximâ, quam retuli, ſententiâ Plinii;) integro ſenſu, lepore non imminuto.

Libentiùs equidem laudarim, ſicut hactenus à me factum commemoravi, quàm culpaverim magni præcipuè nominis viros: at quoſdam refellere ſum coactus ſtudio veritatis, religionis officio. Nec verò acriter inquiſivi in ſcriptorum labes; neque avidus ultro ſe offerentes anſas criminandi arripui: verùm dimittere intacta non licuit, quæ rationi, quæ pietati repugnarent. Scitum eſt illud Flacci:

Non quivis videt immodulata poëmata judex. ... *age, quæſo,*
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?

Non tuli omnino moleſtè, hîc carere me pleriſque libris, de Poëtica Latinè Galli-céve ſcriptis, quos vix aſpicere per inſtantes occupationes vacaverat, cùm eo loci agerem, ubi talium copia ſcriptionum ſuppetebat. Quâ ſum animi lenitate & reverentiâ; illuſtris quorundam famæ, aut ſanctioris amicitiæ tantulùm perſtringendæ periculum, leviſſimæque ſuſpicio offenſionis retardare me à depromendo liberè ſenſu meo potuiſſet. Quantâ porrò æquitate ſim verſatus in hac parte, vel illud affatim declarat; quòd eoſdem pro ſui quemque operis modo jam defendi, jam oppugnavi. Julio ſum Scaligero aſſenſus, jure aliquando Sannazarium, elegantem poëtam, ſed parum decori memorem, damnanti: hunc ipſum aliàs ab iniquâ illius cenſurâ vindicavi. Doctiſſimo cum Hypercritico feci modò, Hieronymum Vidam, præſtantem & poëtam & poëtices doctorem, ſed non uno loco claudicantem, improbante: modò iſtum, rectis ſenſibus

euntem, adverſus temerarios quoſdam Scaligeri impetus propugnavi. Atque hujus profectò moderationis ipſe mihi ſum conſcius; quòd complures, quorum ſive in epicis, ſive in tragicis, ſive in lyricis, aliiſque poëmatum formis, peccata in artem, in prudentiam, neclevia occurrebant, ne appellavi quidem; paucos, quos erat neceſſe in ordinem redigere, nullâ acerbitate verborum malè habui; prolapſos non urgeo; plura, quæ cùm alibi, tum iis etiam, quos tangebam, locis ſponte in reprehenſionem veniebant, & omiſi & nunc diſſimulo: ut modeſtam parcámque cenſuram ex aliorum judiciis verbiſque peregiſſe mihi videar; neque in hujuſmodi animadverſionem incurriſſe putandus ſim, ſed incidiſſe. Aliquoties indignationis vocem ipſa rei indignitas expreſſit. At homines flagitioſos & impios graviùs notatos oportebat, quos ad famam & gratiam noſtris etiam temporibus ſua videtur commendaſſe nequitia.

Ceterùm quàm lubrica ſit critice, non ignoro; neque aliis me difficilem præbeo, qui plurimum egeam ipſe veniâ. Dignum verò indulgentiâ fateatur,

quî noverit, ad hunc edendæ Poëticæ laborem quo pacto ex occaſione, rogatuque familiarium, me me dederim: niſi, quod proclive eſt, temeritatis potiùs ex hoc ipſo capite condemner. Equidem aperire non auſim, ne ultro me accuſem, quàm projectè, parúmque meditatò, quidquid hoc quantúmque oneris erat, ſubierim. ac ſanè vereor, ne, me tacente, ſe opus ipſum prodat. Quanquam hoc non impudenter dixero, haud eſſe, calculis ſubductis, cur me exhauſti laboris pœniteat, quem non inanem futurum ad culturam ingeniorum morúmque ſperare fas eſt. Sic inelaborata decurrit oratio, ut ſatis ferè videatur elaborata; verſuſque ita properati, ut iidem neutiquam ſint neglecti; quos plerumque ſi non *multa dies*, at *multa litura coercuit.*

Tullianæ dictioni, Virgilianæ, Horatianæ, cùm in aliis, tum in hac ſcriptiunculâ ſtuduiſſe me profiteor; vocem tamen aliquam non defugiſſe ab his principibus non uſurpatam, ſed autorum uſu perbonorum ſancitam, reíque apprimè congruentem. Græca interdum nomina adhibui, Fabii, Plinio-

rum,

rum, Senecarum, aliorum veterum; ipſiuſque adeo Ciceronis autoritate fretus, qui Græca à Latinis perſæpe non diſtinxerunt, tanquam Romanæ civitatis jure donata; cujuſmodi nomen eſt ipſum Poëtices. Cùm omnium fermè Latinorum poëtarum, quos edidit ſuſpexitque antiquitas, in hiſce libris notionem aliquam informarim; delectaque ex iis carmina, noviſque itidem poëtis, retulerim; tum de Græcis præcipuis & vatibus & ſcriptoribus reliquis dixi, crebraque Homerica & Ariſtotelëa ſubjeci: quæ ſi Græcis expreſſa formis interveniant, næ importuna rudioribus acciderint. ídque datum etiam Typothetæ; cujus item commodo, quas in orâ chartarum notas apponere cœperam, deinceps omiſi. Atque *hæc* tecum, Lector Candide, familiariter, ut rationes facti mei in utraque parte cognoſcas.

Quòd ſi quid fortè in operis decurſu, circa præcepta, vel exempla, vel ornamenta deſideras; vide ne non omiſſum, at dilatum ſit. Operam dedi ſcilicet, ut materiæ implicatæ cùm ſecerni ex omni parte non poſſent, diſ-

ĩ

penſatæ illæ tamen ac digeſtæ ſuo quæque loco apparerent, inſignibus quoque elocutionis variè in tanta doctrinarum frequentia & ſimilitudine diſtributis. Sin offenſioni quidpiam fuerit; ſuſtine, amabo te, judicium, quoad omnia perlegeris. evolvere ſe, ut confido, rem ſenties, & aliud ex alio velut face admotâ lucem ſplendoremque trahere. Supplementum denique, & appendiculas varias adire moleſtum ne duxeris: ubi quædam adjiciuntur, illuſtrantur alia; nonnulla (quid enim diſſimulem?) turbata ordine reponuntur.

Sunt, qui typographica ſcriptori imponant errata; nihilque irrepſiſſe vitii ſuſpicantes, ubi omnia depravata, ſenſum requirant, fingantque, alienum videlicet, coactum, nec rarò abſurdum: obſcuritatis, aut inſcitiæ probrum immerenti accerſant. Contrà nimiùm quidam ſuſpicioſi, rem ſanam correctione temerariâ vitiant: ut ſi quis emendare voluerit, quod eſt alicubi, *Seraphimi*; &, *Seraphini*, ſupponere, quod vulgo dicitur non exactè. Alios reperias, qui tertio quoque verbo, de communibus & notiſſimis rebus dubii, reſtitent; alios,

quibus mirâ præſidentia aditum omnem de ſuis erroribus dubitandi præcluſerit.

Quot altè elato ſupercilio vel exquiſitiſſima carmina deſpiciunt, qui vix dimenſionem unius aut alterius metri novêre! Hanc ſui labem ſeculi notavit Cicero; notarunt omni ætate ſummi ſcriptores experti, invidiam & maledicentiam: propè ut optandum fuerit, id quod ſuis Flaccus opuſculis evenire querebatur; ut quæ *ingratus lector*

Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus.

Quid, quòd malâ nonnulli fide arripiunt ea, quæ autor ſibi ipſe prudens objecerit; ſubjecta reſponſa, aut ingenuam correctionem diſſimulant? Jam quid eloquar de ſuperbo faſtidio, quo multi pia reſpuunt violantque argumenta? ſi non planè maledico, certè mimico dente carpunt, quæ venerari debuerant, aut genere quodam laudis maligno deterunt. Quibus hîc ego cavillis & contumeliis non reſpondebo, cùm iſtud abunde totis pænè libris cumulatéque præſtiterim: nec modò, quidquid rerum tractationi ſacrarum opponi ſolet, everterim; ſed hanc unam omnium ap-

tiſſimam poëſi materiem autoritate, ratione, exemplis confirmarim.

Atenim, quod ex Graccho Tullius refert, *abeſſe non poteſt, quin ejuſdem hominis ſit, qui improbos probet, probos improbare.* Nimirum cui profana ſapiunt, qui calet amatoriis, eidem frigida & ſine ſapore videri neceſſe eſt argumenta ſacra. Quàm verò de republica perniciosè meretur, quiſquis in eam ſe partem dat & corruptelam! quàm fœdè non modò à ſanctitate nominis Chriſtiani, ſed ab ipſius Poëtices dignitate præſtantiaque libidinoſus poëta degenerat! Túne, cùm tibi Deus ingenium, eruditionem ac ſpiritum illum poëticum, *Divinæ particulam auræ*, dederit; eo tam præclaro munere & inſtrumento ad beneficentiſſimi Numinis injuriam, Chriſtianæ ignominiam religionis, tuam aliorumque peſtem abutare? Peris ingenio tuo miſer: nec malo ipſe proprio contentus, in publicum exitium graſſaris, quantò celebrior, tantò pernicioſior: & quæ vitia concepiſti, in lectores, in populos, in poſteritatem ipſam diffundis; ne tum quidem, cùm vivere deſieris, nocere deſiturus. O immanes

flagitiorum immortalium, ſemperque augeſcentes acervos!

Plurimùm dicit oratori conferre Theophraſtus lectionem poëtarum; multique ejus judicium ſequuntur: neque id immeritò. Namque ab his & in rebus ſpiritus, & in verbis ſublimitas, & in affectibus motus, & in perſonis decor petitur: præcipuèque velut attrita ingenia, optimè rerum talium blanditiâ reparantur: ideoque in hac lectione Cicero requieſcendum putat. Quintil. l. x, c. 1. Verè id quidem probâ de lectione: ſed omnem poëſeos vim obſcœnitas elidit, ſplendorem omnem extinguit.

Itaque non ſtylus modò ab impudica ſcriptione abſtinendus; ſed prorſus ab omni impura lectione fugiendum eſt: longè avertendi, ne contaminentur, oculi; vel ab ipſo librorum obſcœnorum contactu manus cohibendæ. Atque hoc interdictum valeat maximè,

Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas,
Cereaque in vitium flecti.

Quò blanditiæ dulciores poëtarum, eò diligentius admonendi ſunt præmuniendique adoleſcentes graviſſimâ periculi

denunciatione; ut magnâ cautione ſeveroque delectu attrectent has ingenii delicias. Catullum, Horatium, Tibullum, Propertium, Martialem ne admittant, niſi expurgatos. Quod, etſi quidam improbè conqueſti ſunt, utinam in omnibus perfectum eſſet inverecundis ſcriptoribus; ut integri haberentur, ita ſalubriter mutilati. At expiatione iſtâ nondum per omnes oras profani Parnaſſi adhibitâ, ſedulò circumſpiciant juvenes, ut ſunt poſiti in lubrico, ne ſcripta adament plus moribus detrimenti, quàm emolumenti ſtudiis allatura. Tanti non eſt profectò elegantia dictionis univerſa, recens, antiqua; Latina, Gallica, cujuſvis linguæ & facultatis; ut maculâ animæ comparetur. Neque verò Autores primarii deſunt, cœleſtis Providentiæ beneficio, caſti, & illis elegantiores pulchellis inquinatiſſimis. *quid autem*

Cæcilio Plautoque dabit Romanus, ademptum

Virgilio? qui Chriſtianis etiam ſcriptoribus innocentior non paucis: tametſi per hujus verſus nonnullos, ſic tanquam *per ignes ſuppoſitos cineri*, incedendum eſt. Age nunc, quantæ inſaniæ fuerit, iis ediſcendis operam impendere, quæ ſi menti

ſponte occurrerent, omni eſſent operâ ſtudioque repellenda; ſi memoriæ inhæſerint, omnem ad ea excutienda laborem induſtriamque conferre oporteat! Plura dicerem, niſi obſtaret, quam mihi indixi, lex brevitatis, ponenduſque volumini modus. Tanti rem momenti paucis colligam, veritatemque ſaluberrimam jucunditate imbuam allegoriâque poëticâ.

Argumentum peto ex illa Fabii Quintiliani declamatione in Apes Pauperis; à quibus cùm queſtus eſſet vicinus dives flores ſuos decerpi, *denuntiavit ut transferret. illo non transferente, flores ſuos veneno ſparſit: apes pauperis omnes perierunt.* Cauſantur flagitioſæ Poëſeos amatores, in ſordibus quærere ſe flores elegantiamque dictionis. Atenim hæc improbæ voluptatis artifex, fabuloſæ illi famoſæque ſimilis veneficæ,

Carmine quæ magico ſocios mutavit Ulyſſei;

Hæc, inquam, fallax funeſtaque cantatrix, ut ait de illo crudeli nefarioque Divite Fabius, *ſparſit omnibus floribus mortem.* Et ſæpe lectores aptèque cum apibus compoſiti: & venena præſentiſſima, nequitiæ carmina.

O quæ virgineas aurato corpore mentes
Clauditis; & pictos læta volitare per agros
Purpuream legitis meſſem, formoſaque Veris
Munera carpentes, operoſâ luditis arte;
Parcite, apes, libare thymum, caſiamq; crocumq;.
Nec vos inſidiis capiat roſa, nec ſacra myrtus
Idaliæ Veneri, blandâ nec amaracus aurâ,
Narciſſuſque rubens gratoque papavera fuco.
Ah, dulces fugite illecebras, malè credula turba.
Vobis exitium Circeo barbarus horto
Compoſuit, ſuaviſque invidi gaudia paſtûs:
Ipſe ſuas corrupit opes, mortemque doloſis
Floribus aſperſit, cæcum pro nectare virus.

Alia dabit ſe fortaſſe opportunitas docendi copioſiùs, quâ maximè induſtriâ ſint autores ipſi profani lectione ſcriptionéque conſecrandi: cujus artis modò ſpecimen dedi, ethnici Rhetoris uſu, ni fallor, haud ingrato. Interim flores incorruptos & fructus, ecce tibi amice largéque offero, Chriſtiane Lector, è laboribus noſtris colligendos. Tu facilis vicinſſim ac benevolus dona ſuſcipe haud exquiſita, ſed ab ipſo uſu commendationem pretiumque ductura; neque rudioribus modò, verùm exercitatis quoque ac peritiſſimis aliquid fortaſſe paritura & ingenuæ utilitatis, & honeſtiſſimæ voluptatis.

Nec ſuavior ulla eſt,
Quàm ſibi quæ JESU *præſcripſit amabile nomen,*
Quàm pia quæ MARIÆ *deſcripſit pagina laudem.*

SERIES
ARGUMENTORUM.

Additi ſunt numeri Capitum, majoris diſtinctionis cauſâ, & longiorum Carminum tituli.

LIBER I.

DE *MATERIA, FORMA, ET Inventione Poëtica.*

DISSERTATIO DE MATERIA POEMATIS, cujus notio præmittitur ac diviſio. Cap. I.

An Certa Poëſeæ Definitaque ſit Materies? Cap. II.

Ecquid Res Sacræ Materies idonea ſint Poëmatis? Cap. III.

(Moſaïcæ Poëſeos ac Davidicæ Laudatio, & Specimen. *Carmen Heroicum.*)

DISSERTATIO DE FORMA, &c.

Utrum Fictio ſit Poëmati Neceſſaria? Cap. I.

De Fabularum Neceſſitate, Petronii Arbitri Sententia & uſus præcepti expenditur. Cap. II.

Quæ in Poëmate Fictio dominetur, ac qualis induci Argumento Sacro poſſit? Cap. III.

Chriſtianæ Forma Poëſeôs Argumentis aliquot expreſſa, Cap. IV.

Fabulæ Sacræ Conſtitutio num rectè decorèque ſe habeat in Chriſtiade Hieronymi Vidæ? Cap. V.

Fictionis in Re Sacra legitimæ, ceteræque Tractationis Poëticæ Exempla duo, ſuperioribus ampliora, Cap. VI.
(Oeconomia Euthanaſiæ Borgianæ.
Chriſtus in Ægyptum Deportatus, Poëmation.
Obſervationes in idem Carmen)
De Carmine Symbolico, & Intercalari. Cap. VII.
(Fluxa Fallaxque rerum ſpecies humanarum, Iris. *Ode.*)
APPENDIX utriuſque Diſſertationis de Materia Formaque Poëmatis, in rebus præſertim Sacris.

LIBER II.

DE DISPOSITIONE POEMATIS; cujus Partes aſſignantur. Cap. unicum.
EXEMPLA DUO.
Elegia Propertiana de Actiaca Victoria.
Deſcriptio ejuſdem Victoriæ, ex l. VIII. Æneid. ad juſtam Heroïci Poëmatis formam compoſita.
DISSERTATIO DE PROOEMIO.
Natura Proœmii quæ ſit? Quæ Neceſſitas, quis uſus Propoſitionis & Invocationis? Cap. I.
(Proœmia Parthenica tria, *&c.*)
Proœmii Formæ Variæ. Cap. II.
Ad Proœmii Perfectionem Obſervanda. Cap. III.
DISSERTATIO DE NARRATIONE.
Quæ ſit, quem Ordinem amet Poëtica Narratio. Cap. I.
(Poëmatis de Transfigurato Chriſto idea.)
Poeticæ Narrationis Dotes.
PROBABILITAS, Cap. II.
quod inſtar habet peramplæ Diſſertationis; ubi quæſtio potiſſimùm de mirifica Samſonis Actione pertractatur.
(*Rupellæ expugnatæ Monumentum.* Ode.)

PERSPICVITAS, Cap. III.
BREVITAS, Cap. IV.
(quæ capita juſtas impleant ſingula Diſſertationes.)
SVAVITAS, Cap. V.
(*Narratio Feſtiva, ſive in temperato genere:*
Rex Agricola. Carmen.
Heroica Narratio, ſive in genere gravi:
Victoria Chocimenſis Poëma Epicum.)
DISSERTATIO DE EPILOGO.

LIBER III.

DE POETICA DICTIONE.
DISSERTATIO DE PRÆSTANTIA & Specie Dictionis Poëticæ. Cap. I.
(Hortus Edeneus. Barathrum Tartareum. *Carm.*)
De Nominibus Fabuloſis & Sacris, déque Epithetis. Cap. II.
Schematum ac Motuum Exempla, Cap. III.
(In Chriſti Cruciatum, *Carmen.*
De Chriſto Cruciato. *Carmen Amœbæum.*)
De Stylo Vario. Cap. IV.
DISSERTATIO DE CARMINUM Structura, Numeroque Poetico. Cap. I.
Vitia quædam & Virtutes Carminum. Cap. II.
De Verſu Hexametro & Pentametro. Cap. III.
De Carmine Lyrico, Iambicoque Tragico. Cap. IV.
De Periodo, ejuſque Partibus, Cap. V.
DISSERTATIUNCULA DE IMITATIONE,
De Poematis Inſcriptione. Parergon.
ADDENDA ET CORRIGENDA cum aliquot locorum explicatione.

DE POEMATE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIBER I.

DISSERTATIO
De Materia Poëmatis,
Cujus notio præmittitur ac diviſio.

SUSCEPTA de Poëmate inſtitutio, rectè atque ordine progreſſura, exigit jam à principio, ut genus & diviſionem, materiem formamque Poëmatis conſtituam. Eſt autem Poëma generatim, ut breviſſimè dicam, opus Poëtæ; velut Ilias, Homeri; Æneis, Virgilii Neque ampla tantum ſcriptio, qualis Epopœia, qualis Tragœdia & Comœdia, Poëmatis nomen ſuſtinet; ſed hanc

Digitized by Google

ipſam appellationem recipit vel Ode, vel Dithyrambus. Quæ Poëmatum genera quinque notavi juxta enumerationem Tullianam Poëtarum in libro de optimo genere Oratorum. Superioribus accenſeri debent Elegia, Ecloga, Satyra, Epigramma. Quivis denique contextus carminum; ſive laudem, hortationem, deſcriptionem adornet; ſive familiariter epiſtolâ animi ſenſum exprimat; ſive philoſophiæ locum artiſve cujuſpiam tractet; Poëma nuncupatur.

AN CERTA POETÆ definitaque ſit Materies?

IAM paucis & genus Poëmatis & ſpecies ita comprehendi, ut materiem quoque indicarim, omniaque eſſe Poëtæ ſubjecta ad canendum. Sic planè ſe res habet (quod Tullianus diſertè Craſſus affirmat) Poëta *nullis ut terminis circumſcribat aut definiat jus ſuum, quò minùs ei liceat eadem illa facultate & copiâ vagari quà velit*. Ac licet eum circa humanas potiſſimùm actiones verſari jubeat Ariſtoteles; hoc ipſum quàm latè patet, vita omnis hominum & mores, tot ordines, tot artes, tot caſus! quid enim non in hæc cadit? virtutes, vitia, quò non pertinent! humani labores, molitioneſque tum belli, tum pacis, quò non evasêre! Cœlum etiam mortales Gigantæâ temeritate invadunt; terris maria, aquis ignes miſcent: in rerum natura alteram quaſi naturam effecerunt. Ita, ſub iſto etiam nomine actionis humanæ, cuncta prorſus in Poëma veniunt, aut per ſe, aut per Epiſodium & digreſſionem, ad amplificationem & ornatum.

Sed eſſe omnia Poëtæ expoſita permiſſaque ad canendum, nihil apertiùs liquidiúſque declararit,

quàm cenſus argumentorum à nobiliſſimis vatibus delectorum. Atque ut eos prætercam, qui certo argumento nulli ſe adſtrinxêre; ſed jam naturalia, jam moralia, jam artificioſa, prout occaſio tulit aut voluntas, *floriferis ut apes in ſaltibus*, libarunt: dé Natura generatim ſcripſit Empedocles, & Lucretius; de cœlo ſpeciatim ac Phænomenis Aratus; de Meteoris Iovianus Pontanus. Opera & Dies condidit Heſiodus; unde Maronis fluxêre Georgica. De agricultura item conſcripſit præclarè Nicander is, cujus Theriaca & Alexipharmaca ſunt in manibus. de Venatione Gratius egit & Nemeſianus. extant Oppiani Cynegetica, & Halieutica: quo poſteriori in argumento, præter alia, ingenii ſui copiam exercuerat Ovidius: *

Sæpe ſuas volucres legit cui *grandior ævo,*
Quæque nocet ſerpens, quæ juvat herba, Macer.

Geographiam Dionyſius; Poëticam ipſam Horatius, Maurus Terentianus, Hieronymus Vida poëticè explicarunt. Moralem diſciplinam tractavêre Pythagoras, Phocylides, Theognis; Mambrunus, Hoſchius, recentes alii. Quid de rei Politicæ præconibus dicam? aut quid bella, fœdera, monumenta Ducum & Principum, imperioſorumque populorum commemorare neceſſe eſt, in quibus Epici verſantur? Ac quanquam Iliadi, Odyſſeæ, Æneidi una ſit illuſtris actio ſubjecta; quantam illa tamen Poëmata varietatem rerum implicant!

Sua quidem ſingulis generibus poëtarum aſſignata regio eſt, præſcriptaque materies ab Horatio in Poëtica.

* *l.* 4. *Triſt.*

Res geſta Regumque ducumque, & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.
Verſibus impariter junctis querimonia primùm,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

Archilochum proprio rabies armavit iambo.
Muſa dedit fidibus Divos, pueroſque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

Sed eatenus hæc valet Horatiana partitio, quatenus communem uſum ſignificat, & materiem cujuſque generis præcipuam indicat, non ſolam. Siquidem argumenti nullius ulli poëtæ excluduntur arcenturque limitibus: promiſcuè omnibus omnia pervagari licet. Nam quod ait, militaria & regia facinora eo, quem Homerus adhibuit, ſcribi poſſe numero; verè id quidem, poſſe ac ſolere; non autem, oportere. Aptiſſimum celebrandæ fortitudini bellicæ numerum agnoſco, qui herous vocatur, quod rerum ab heroïbus geſtarum præſtantiam gravi exaggeratoque ſono imitatur. Ceterùm adeo non eſt ſignis martiis imperatoriæque affixus gloriæ, ut idem ad ruſticas etiam operas libenter ſe jucundéque conferat; quod luculentè monſtratum jam notavimus ab Heſiodo, eumque ſectato cum aliis Virgilio.

Et verò, quæ ſubjicit Flaccus de materia Elegiæ, ſatis probant in Poëſi nonnunquam à primo inſtituto deflecti, latiúſque in diverſam excurri materiam. Elegia quippe ad fletum nata, unde nomen invenit, querimoniâ ſe includi non eſt paſſa: in contrariam partem digreſſa, voti ſententiam compotem cecinit; ac ſæpe in geſtientem effuſa lætitiam (quod acerbiſſimè dolendum,) amatoriâ veſaniâ exultavit. Cumque imbellis & tenera

ſit ; eadem prœliis auſa ſe immiſcere, Actiacam victoriam cum Propertio modulata eſt ; cum Tibullo etiam Ovidioque triumphos perſonuit.

Iam Iambographi in amarulentis, tragicis & funeſtis argumentis plerumque occupantur illi quidem ; ad mitiora tamen divertunt interdum : & inter agreſtes delicias ludere ſuaviſſimo Epodon carmine docuit Horatius. Atque hic rem bellicam ſanè feliciùs tractavit plectro, Tiberium victorem in cœlum efferens, *Qualem miniſtrum fulminis alitem*, juventute & patrio vigore impulſum ; quàm olim gladio tractarat,

> *Bruto militiæ duce ;*
> ubi *pèr hoſtes Mercurius celer*
> *Denſo paventem ſuſtulit aëre.*

Quid Steſichorus ? *quàm ſit ingenio validus, materiæ quoque oſtendunt, maxima bella & clariſſimos canentem duces, & epici carminis onera lyrâ ſuſtinentem* ; ut ait Quintilianus.

Ex his, quæ modò expoſui, colligas omnia Poëtis eſſe communia argumenta ; licèt Poëſis aliud alia magis adamet. Denique obviam cuilibet poëmatum generi materiæ amplitudinem poëticæ uno ex autore facillimè intelligas : qui præter fabulas & hiſtorias antiquas, temporum noſtrorum præcipuas qualque res, piè, fortiter, magnificéque geſtas, quatuor & viginti libris complexus eſt. Ibi multa è Theologia, multa è Philoſophiâ deprompta reperias ; de artibus multa, multa quæ ad mores pertineant. Interim virorum, urbium, regionum crebræ laudationes. Nec, ſi fortè ſatyrâ oblectaris ; deeſt opportuna ſcelerum inſectatio, cenſuraque vitiorum. Quidquid ad artem bellicam, ad urbium oppugnationes & aſſultus, ad irruptiones in caſtra munitiſſima, ad concurſus ſive na-

valium, ſive càmpeſtrium præliorum, ad tormenta, cuniculos, ceteraſque ſubterraneorum ac miſſilium formas ignium attinet, variè pertractatur. Ad hæc, Colorum inter ſe jocoſa contentio; feſtorum ignium ſplendor, pompæ triumphales, ludi multiplices; agrorum & fontium, villarum & prætoriorum amœnitas; Terræ-motûs ac Fulminis terrores; Iridis ſpecioſa fallacia; Inundationis horrenda grataque ſpectacula: quæ ſingula propriis opuſculis continentur. Nam rerum, quarum incidunt paſſim deſcriptiones; ut ſolis variorumque ſiderum, ut avium & quadrupedum, ut hortorum & amnium, ut iconum & aulæorum, ut ſphæræ tabularumque geographicarum, ac ſimilium vis innumera. In his demum Poëmatis Panegyrica, Euchariſteria, Epinicia, Soteria, Propemptica, Epithalamia, Genethliaca, Epicedia, Bucolica, Didaſcalica, Parænetica invenies, aliáque non pauca: ut intelligas, Muſis noſtris nullum fermè intactum eſſe rerum genus honeſtarum.

Ac res planè ſacras divinaſque, Lector, ſi quæris; abunde ex illo poëſeos noſtræ fundo ſuppetent: ſin fortè niteſcere poëticâ tractatione poſſe diffidis; ades, quæſo, parumper facilis, abjectoque ad tempus præjudicio, integrum æquumque præbe te mihi graviſſimæ cauſæ diſceptatorem.

ECQUID RES SACRÆ Materies idoneæ ſint Poëmatis?

Equidem ſæpe ſum vehementerque admiratus, quid eſſet, cur in pia poëſi nonnunquam homines, etiam non mali, faſtidiant. Nam ſive utilitas eſt poëtæ propoſita, ſive jucunditas, ſive utraque; in quo perfectionem artis conſtituit Horatius: ad eum finem conſequendum ſummis inſtructa præſi-

diis hujuſcemodi poëſis videbatur. De utilitate profectò nemo ſanus diſſenſerit, cùm piis carminibus & honos habeatur Superis, & vitæ ſanctitas informetur, & vera ſempiternaque beatitas pariatur. Circa delectationem intenditur calumnia. atenim ſinceram voluptatem cum adeo pietas non excludat, ut ipſa per ſe deliciis perfundere animos ſoleat: ſic ſtatuo, non penès materiem culpam reſidere, ſi quando ſuo ſapore Chriſtiana poëſis deſtituatur; ſed aut ſcriptoris eſſe peccatum, aut lectoris: illius, argumenti præſtantiam ſi vilitate ingenii deterat; hujus, ſi nauſeâ quadam animi ſuavitatem oblatam probi ſacrique carminis parum ſentiat.

Fuit illa Gothicorum temporum infelicitas & barbaries, ut ſancta dehoneſtaret argumenta; poſteroſque in eum induceret errorem, ut inepta poëtico lepori exiſtimarentur, quæ tam ſiniſtrè fuiſſent aliquando tentata. Contrà verò improba laſcivaque ingenia cum ſibi majorem in modum placerent indulgerentque concinnandis ſuis lenociniis; tum avidos ſenſus & paratiſſimos animos nacta, quibus influerent exquiſitis corruptelarum illecebris, nimirum & ſuâ & aliena nequitiâ triumpharunt. Nunc *horridus ille defluxit numerus*, ubi politiſſimi ſcriptores omnem in piis rebus amœnitatem explicarunt: ac ſi qua pars eſt myſteriorum, necdum ſatis exculta Poëticis ſtudiis; uſquámne fructuoſius collocari poſſit labor, aut induſtria exerceri? Supereſt, ut mutatâ ætate mens ipſa mutetur; & quæ voluptas è cœno carminum tantò fœdiorum, quantò in flagitioſis rebus elegantiorum, certiſſimâ cum pernicie petebatur, ea nunc uberius feliciuſque è liquidiſſimis expiati Parnaſſi ſcatebris hauriatur.

Enimvero ubi caſtius amor & lætius ardeat,

quàm in divina ſpecie quærenda & complectenda? quid amabilius imagine Sponſi cœleſtis è Canticis expreſsâ? *O quam pulchram faciem!* (ut Senecæ verba uſurpem) *quàm ſanctam! quàm ex magnifico placidoque fulgentem* videas! jam Virtus, jam Sapientia, jam Divinitas, quod Philoſophorum ſpes ac vota ſuperat, oculis obverſatur. Neque te, Lector, ut ſpero, *hanc faciem altiorem fulgentioremque quàm cerni inter humana conſuevit*, utcunque delineatam pœniteat in Theandricis uno alteroque loco aſpexiſſe. Amavit ſe Virgilius in canendis Elyſiorum camporum deliciis. Num Chriſtiano Poëtæ maligniorem ſubjicit elegantiæ ſegetem *Hortus* ille *voluptatis*, quem in Ioſaphato Indiæ Principe deſcripſimus? Nuſquam largiùs divitem venam Horatius, quàm in Fortunatarum Inſularum laudem effudit. At eum ſic nos imitati ſumus eodem carminis genere, in beatiſſima quæ triumphantem Deiparam excepit, regione depingenda, ut plura nobis è ſacris litteris majoraque affluxerint commoda, quàm illi fabularum omnis ſuppeditare copia potuerit.

Nec verò in illa profanæ miſeræque antiquitatis caligine non viderunt & Græci & Latini Poëtæ, maximam è rebus divinis conciliari Poëticis operibus majeſtatem. Inde à Iove capienda primordia edixerunt: inde toties *Deus è machina*; nec tantùm ubi *dignus vindice nodus incidit*, ſed paſſim ac promiſcuè, ornatûs & autoritatis gratiâ. Ergo illi commendationem ſuæ Poëſi à ſuperſtitione, crebraque inanium & commentitiorum Numinum invocatione ac prædicatione duxerunt: Chriſtiani ab omni ſacrorum commemoratione, tanquam funeſta contagione ac labe, artem divinam removebunt? Non omnem prorſus, inquient mitiores Ariſtarchi, ſacrorum attrectatio-

nem, ſed multam nudamque prohibemus. Parcè iſta raptimque adhibeantur; non efferant ſe, non extent; obrepant in turba, fallant oculos ac prætervolent. Atqui non ita veteres timidè ſuis de ſacris egerunt; nec furtim ac diſſimulanter; & quaſi rerum puderet pigeretque divinarum, ſic eas multitudine humanarum obrutas voluerunt. neque iis tantùm carmina ſua, perinde ac quibuſdam inſignibus diſtinxere. libros ipſos falſis illis religionibus contexuerunt; haud veriti, ſatis ut grata poëſis eſſet, ſi theologica religioſaque appareret. Atque ut paucos è plurimis proferam; ſcripſit Heſiodus Theogoniam, ſcripſit hymnorum in Deos volumen Callimachus. & verò.

Muſa dedit fidibus Divos, proximam propriamque materiem, Horatio teſte ſanè idoneo. Quid Ovidius? quam glorioſe fabulatur in Faſtis! ac nominatim ſub exordium libri VI.

Fas mibi præcipue vultus vidiſſe Deorum;
Vel quia ſum vates, vel quia ſacra cano.

Ius tibi feciſti Numen cæleſte videndi,
Cum placuit numeris condere feſta tuis.

Et delicata ſuperbaque metuam faſtidia, ſi quod & nomini Chriſtiano, & propriis vitæ meæ inſtitutis congruit, profitear; ſi Poëticorum operum partem aliquam divinis rebus conſecraro; ſi quid in feſtos ſolennique cultu conſignatos dies edidero? Tibine, Lector, monſtra illa portentaque Deorum potius, quam Beatarum Mentium Hominumque Sanctorum decora arrideant? mihine de vera & auguſtiſſima Theogonia ſilentium indixeris? At *generationem ejus quis enarrabit*? quis enimvero æternum illud arcanum Verbi Divini

prorsùs evolvere. aut etiam temporarium ortum explanare pro dignitate poſſit? Sed cùm illa Evangelici Vatis admiratione, non interdicti denunciatione, cohibiti deterritique non ſint aliarum facultatum ſcriptores ab utraque Dei & hominis Chriſti generatione vel diſputationibus theologicis, vel aſceticis commentationibus, vel oratoriis laudibus proſequenda; Poëtis venerationem ſummo Religionis myſterio nefas erit adhibere?

a *Publica vox orbis, Chriſtus. jam barbara paſſim*
Stridorem fregere ſuum cœleſtibus ora
Eloquiis: prædulce Crucis decus omnia cantant.
b *Fulguribus miſti ſonitus citharæque tubæque,*
Et vitrei Oceani confusâ murmura flammâ
Ingeminant, totoque audita tonitrua mundo.

Soline obmuteſcent Poëtæ in communi rerum & univerſo concentu? Non minuit, ſed auget veritas admirabilitatem. Quò enim ſpectat fictio Poëtica, niſi ut quam res ipſa non ſuggerit, admirationem excitet fabula? Si ergo res per ſe magnifica & admirabilis exiſtit; ſi c *major ambitioſo mendacio ſimplex veritatis fides*: cur operosè minora tandem veris & ultro ſe offerentibus machinere miracula? quin tu Ariſtotelem audias, Poëſeos iſta à veritate immania diſſidia tollentem; nihiloque minus Poëtam eſſe, qui facta tractet, aperte disertéque pronunciantem. *Factorum enim aliqua nihil eſſe vetat ejuſmodi, qualia ſit veriſimile fieri, ac fieri poſſe: & horum ille ratione Poëta eſt.*

Atenim ſacris argumentis veriſimilitudinem detrahunt, qui ſuam profanis aſſerunt; parum attendentes, quos in laqueos difficultatum, quàm inexplicabiles, ſeſe induant. Itáne verò credibiliora

a *Ex Hieron ſententia.* b *Ex Apocal.* c *Ambroſ.*

veterum de Diis commenta, quàm Religionis Chriſtianæ myſteria? quod aures piæ dictum perhorreſcant. Sed omiſſa contentione ſacroſanctæ veritatis cum nefaria ſuperſtitione Deorumque farragine, quam veri ſpeciem, quem colorem in abſurdis turpiſſimiſque fabulis de Iove ceteriſque fictis Numinibus exhibebunt? Tam fœda certe de ſuis illis Diis excogitarunt antiqui Poëtæ, tam deteſtabilia cecinerunt, homini ut inimico, quod ait Iſocrates, talia objicere nemo audeat. Neque enim tantùm Sancti Patres, aliique Chriſtiani autores probi & eruditi, colluviem illam ſpurciſſimam fabularum damnarunt, quam *flumen Tartareum* graviſſimè vocat deploratque Auguſtinus; ſed vel Ethnici ſcriptores propudia illa ſordeſque inſectati ſunt, pœnaſque impietatis à malis vatibus repetitas cenſuerunt. Non hîc ego ſingula, quæ Diis improbè afficta fuerint, enumerabo, ne infinita, ne inverecunda ſit oratio. furta, bella, fugas, vulnera, ceteraque imbecillitatis aut levioris nequitiæ prætereo: unum hoc, magno cum Auguſtino, premam; *& tonantem Iovem & adulterantem.*

Fulmine qui rapido concuſſum exterreat orbem,
Flagitiis violat terras, inceſtat Olympum,
Idem ultor pariter ſcelerum & fœdiſſimus autor.

Quid afferent profanæ antiquitatis defenſores, quo veriſimilitudinem obtineant; quo chorum omnem Vatum Ethnicorum, ipſumque adeo principem excuſent Homerum: de quo ſi Dioni Chryſoſtomo credideris, tantum abeſt à probabilitate, ut projectus ſit & mortalium audaciſſimus ad publica manifeſtaque mendacia. Video, quò confugiant, ubi ſe jactent. omnia videlicet recipit ſuſti-

* *Iupiter infamat ſeque ſuamque domum.* Prop.

netque allegoria. Sed age, utrum exiſtimas probabilius, crocodilis & draconibus nomina Deorum, an Diis hominum facinora flagitiaque imponere? a *Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat. divina mallem ad nos.* Pugnas tu mihi elementorum cauſaris, aliaque effecta naturæ, ſpecioſis obvoluta integumentis. At ſupremam, rerumque moderatricem naturam quid erat, quod impudentiſſimis commentis implicatam dedecorares, atque ad extrema quæque flagitia abjiceres? Si cautum artis doctores voluerunt, ut ne ſimilitudines indecoræ magnis & fortibus viris applicarentur; ſi hoc ipſo nomine reprehenſus eſt Homerus, quod Ajacem humili & indigna comparatione depreſſiſſet: quid eidem facias, obſcœna in Deos & nefanda reapſe conjicienti? An ſi Iovi Olympio Phidias vultum finxiſſet monſtroſum, Græciæ inventum illud ſuum probare potuiſſet? caſtigatiſſimam effigiem auguſtiſſimamque ſculptor ſcientiſſimus elaboravit. Fac, ſi vis, ex Homerica, ut aiunt, deſcriptione pulcherrimum iſtud celeberrimumque ſimulacrum expreſſiſſe. Magnifice Homerum de Iove nonnunquam ſcripſiſſe, facilè conceſſerim. ſed ubi ratio decori, vel in ſcena obſervandi?

Ne quicunq; Deus, quicunque adhibebitur Heros,
Regali conſpectus in auro nuper & oſtro,
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas.
En ille Tonans, ille *Divûm atque hominum Rex,*
Omnia transformat ſeſe in ludibria *rerum*;

in avium & ferarum ſpecies transmigrat, ardens libidine, cupiditati ſerviens: & qui jam princeps Deorum inceſſerat, e Iove non Satyrus modò perſonatus, ſed taurus, ſed anguis, apparet, ut fucum faciat,

a *Cicer. Tuſc.* 1. b *Horat. in Arte Poët.*

faciat, ut vim inferat, ut flagitiorum omnium princeps & ſignifer agnoſcatur. Atque hæc ego Religionis cauſâ, non animo criminandi notatim, ſummorum alioqui Vatum obſervantiſſimus; quorum eſt ille miſerandus error, tunc popularis & plauſibilis. quanquam ipſi peſtiferam ſuperſtitionem dulcibus numeris aluerunt; & quaſi Circæum poculum, melle aut nectare poëtico miſtum, gentibus propinarunt. Fortunati nos, Evangelica luce colluſtrati, Divinæ Sapientiæ oraculis inſtituti, homines Chriſtiani; ſi modo bonis uti noſtris ſciamus, *pii Vates & Chriſto digna locuti.* Iam & humana ad Deum, longe aliter quàm fingebatur ab Homero, tranſlata ſunt; & divina ad hominem plenius ac præſtantius, quam optabatur aut capiebatur à Cicerone.

Nunc ſuperioris meæ diſputationis hæc ſumma ſit, perperam & iniquè veriſimilitudinem abrogari ſacris & Chriſtianis, dum profanis Ethnicíſque vendicatur argumentis. Quod ſi quid ad purgandum Homerum ceteroſque ſuperſtitionis & fabularum inter ſe pugnantium cantores valet communis eâ ætate vulgi perſuaſio; non valebit ad neceſſariam Vatibus religioſis probabilitatem ſanctiſſima fides populorum, tot tamque certis fundamentis à tot jam ſeculis conſtituta? & illa quidem *credibilitatis*, ut vocant, argumenta clariſſima, in Triumpho Chriſtinæ, in Sacra Oeconomia, in ode ad Fidem conglobavi; ac Myſteria ipſa libris aliquot celebravi, utinam pari tua, Lector, ac ſcriptoris voluptate.

Sed quoniam voluptatis è piis capiendæ carminibus recurrit mentio; Sacræ, quam effinximus, Solitudini ſuas nemo, ut reor, delicias abjudicarit; nemo Chriſtum cœlo invectum, ſimiliaque argumenta, veluti moroſa & triſtia relega-

rit. Cruciatum autem Servatoris, tormenta inferorum, aliaque generis ejuſdem, utique ciendæ oblectationi minime apta quis non exiſtimabit? Quam ego difficultatem ut prorſus enodem; hoc primum ſtatuo, cùm agitur de Poëtica delectatione, non titillationem ſensûs quæri, non riſum & geſtientem lætitiam. Eſt illa Maximi Tyrii ſententia, male mereri de Homero, ſi quis eum in canenda Heroum virtute voluptatem ſpectaſſe opinetur. ſic enim primarium Vatem in ordinem redigi laſcivorum & bacchantium; quibus ex hac parte ſit inferior. jucundum eum ſanè, ſed pulchriorem, & laudi quàm voluptati propiorem. Facetiis eſt interdum locus in Poëſi; luditur ſæpe in epigrammatis, in ſatyris: & aliquid hi libri ſuppeditabunt ejuſmodi. ſed oblectatio, quæ totam in Poëſin pertinet, ex ingenua naſcitur pulchritudine; narrationum, deſcriptionum, motuum varietate gratiaque efloreſcit.

Suavitatem Cicero probat *auſteram & ſolidam, non dulcem atque decoctam.* itaque prudenter atque ex arte monet; vel Poëſis vel oratio, *ut gravis, ut ſuavis, ut erudita ſit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita; ut ſenſus, ut dolores habeat. in toto ſpectantur hæc corpore.* Vides nominatim requiri dolores à Tullio? nec minùs ab Auguſtino. qui poſteaquam hoc generatim poſuit: *Pati vult* ex luctuoſis atque tragicis *dolorem ſpectator; & dolor ipſe eſt voluptas ejus:* tum de ſe teſtatur; *dolere amabam, & quærebam ut eſſet quod dolerem; quando mihi in ærumna alienâ, & falsâ & ſaltatoriâ, ea magis placebat actio hiſtrionis, meque alliciebat vehementius, qua mihi lacrymæ excutiebantur.* An verò quidquam apud Oratorem nobilius actione illa de Navarchorum ſuppliciis, ac præſertim de cruce Gaviana? & erunt, qui necem

Crucemque Liberatoris Opt. Max. negent ſatis habituram in Poëſi ſplendoris & dignitatis ? Quid apud Virgilium Ætna, Polyphemo, tempeſtate ſpectabilius ? quid excidio Trojæ, funeſtiſque aliis caſibus graviùs altiuſque cantatum, maximè pœnis inferorum ? quas etiam ceteri Poëtæ, data opportunitate, libenter, amplè, magnificeque commemorant. & Chriſtiana Poëſis vocabitur in invidiam, ſi non meras veneres loquatur, ſi quid grande & arduum objiciat, ſi quando veros inferos ad terrorem compoſita exprimat ? In pictura, cui Poëſis confertur, non tantùm floridæ areolæ, prata rivulis interciſa, nitida illuſtriaque prætoria delectant : ſed locorum aſpectu deſertorum, aſperis montium rupibus, præcipitantibus aquis, urbium palatiorumque ruinis graphicè propoſitis, diutiùs etiam quàm illis mollibus illecebris clariſque coloribus teneäre.

Quid, quod ea quæ primâ facie horrida videantur argumenta; & ſuavitate motuum, & verborum elegantia, rebuſque exquiſitiſſimis, perinde ac vermiculatis emblematis, hilarantur ? ſed ut præclarè Lactantius de vero cultu l. VI. *Si voluptas eſt audire cantus & carmina, Dei laudes canere & audire jucundum ſit. Hæc eſt voluptas vera, quæ comes & ſocia virtutis eſt.*

Neque eſt, quod ullius animum à divinis rebus aut ſuſpicio difficultatis avertat, quaſi myſteriorum gravitate obruendum; aut ſpecies religionis impediat, velut ad primos auguſtiſſimorum penetralium aditus horrore perfuſum. Equidem ſat ſcio, eum qui circumſeptam inacceſſa luce majeſtatem temere arroganterque ſcrutetur, illo tantæ gloriæ ſplendore opprimi atque occœcari. Sed, qui duce Fide, ſacrorum autorum veſtigia ſecutus, erigat ſe venerabundus ad myſteria, non rudis

alioqui, non imparatus à poëtica facultate; excitabitur, mihi crede, attolletur ipſa materiæ ſublimitate. Sic enim ſe ratio habet eloquentiæ, ut docet III. de Oratore Tullius: *Si eſt honeſtas in rebus ipſis, de quibus dicitur, exiſtit ex rei natura quidam ſplendor in verbis,* quantus igitur è rebus divinis eluceat, neceſſe eſt? Quod ſi ſummus hic eloquendi artifex fatetur ſe oratorem, *non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis extitiſſe*. nihilne Theologiæ ſacraria, cœleſtiumque monimenta literarum ad poëticam ſupellectilem conferent? Quanta ſit ejus, quæ ſacroſancta Scriptura continetur, Poëſeos divinitas; oſtendi Moſæorum Davidicorumque carminum teſſellis quibuſdam inſertis Panegyrico in Poëmata Celſiſſimi Principis Ferdinandi Furſtenbergii.

Emicat ante alios princeps vatumque ducumque,
Quem fragili inſtruxit virgâ tela omnia contra
Bellipotens; ſpoliiſque ducem Deus auxit opimis;
Intimaque admiſſum ſanctæ in penetralia nubis,
Colloquio vatem & viſu dignatus amico,
Cornibus ardentem radiorum inſigniit aureis.
Vatis ad imperium, & virgæ fatalis ab ictu
Æquora diſſiluêre: tumentibus arduus undis
Bisgeminos ſe ſe in montes ſuſpendit Erythra,
Et vitreo horrendas libravit in aggere moles.
Iamque hiat, & ſiccâ patet alveus imus arenâ.
At populus mirum per iter, conva'le profunda,
Hinc illinc ſtantes ſolido ceu marmore fluctus,
Audacem rapuêre fugam matreſque virique,
Ac medio emerſi baratbro gratantur ovantes.
Rurſus ad imperium, & radii nova verbera ſacri,
Ardua procubuere gravi freta verſa fragore,
Protinus & tumidâ geminus ſubſedit aquâ mons,
Marmoraque implerunt vaſtas undantia fauces.

Spumea purpurei ad nubes maris ira reſultat.
Dum trepidant, Phariam revoluto gurgite turbam
Obruit agglomerans æſtus, curruſque viroſque
Armaque cornipedeſque, & cum Pharaone ſuperbo
Demerſit, regiſque capax regnique ſepulcrum.
Magnificos, tantarum inter ſpectacula rerum,
Concipiens animo ſenſus, laudeſque tremendi
Vindicis auguſtas meditans, gratante miniſter
Ore triumphales effundit ad æthera cantus.
Iſaciæ reſonant Erythræa ad littora turbæ:
Æternam, quà terra patet, per ſecula vocem
Excipiunt popu'i, & paſſim templa alta volutant.
Quid mirandum æquè vates ſonuêre profani!
Inde quaterdenum vaſtas emenſus arenas
Curriculo annorum, quo fœdera carmine ſancit
Legiferi interpres ſummi, populique Sequeſter!
Cælo audita ſimul terræque potentia verba;
Naturamque omnem vox imperioſa coërcet.
Quo fluit eloquio divinæ copia linguæ,
Fecundique ſolum rigat inſtar gemmea roris!
Quas eadem irato jaculatur Numine flammas
Lingua minax, immane tonans! quo turbine acutū
Fulguris inſtar agit gladium, depaſcere crudâ
Corpora cæde avidum, calido ebria tela cruore!
Qui tam ſublimes Graii Latiive Poëtæ
Aſſurgunt? tanto infremuit quis Iuppiter ore?
Nec ſacro inferior cantu, quem dia ſonantem
Auritâ Iordanis aquâ pendenſque ſilenſque
Hauſerat: & citharæ ſolitam vibrare canora
Fila manum ſenſere urſi, ſenſere leones,
Senſit ſanguineâ fuſus Goliathus arenâ.
Ipſa, Saülem agitans furiis, infracta Erebi vis.
Vim muſæ placidam, ludum ſtupet aula ſalubrem.
Ut Deus aligeros ſupra volat arduus axes,
Colla ſuper Geniorum, altæ caligine lucis
Circumſeptus, ovans; majeſtatiſque ſatelles

Terror adeſt, flammis & militat acribus æther,
Nubilaque agglomerant venti, rapidæque procellæ!
Hinc pelagus fugit; hinc trepidum Iordanis aquarū
Agmen agit retro: juga contremuere Seïris,
Et Sinæ in fumos abeunt tabentia ſaxa,
Ocyus & cerâ tellus reſoluta liqueſcit.
Tanta ſacer volvit Fidicen &c.

Vides, ut ſacra materies, ſi caret eo dictionis præparatæ ornatæque ſubſidio, quod Latini Poëtæ ſubminiſtrant verſuum genera commutantibus; at rerum præſtantiâ, ſpirituque illo cœleſti gaudeat, cujus ad majeſtatem nemo profanorum adſpirarit. Nec dubitabo ad hujus veritatem ſententiæ confirmandam, ex hoc ſeculo teſtem excitare; ſed cui ſuperiora paucos vel ſingulis facultatibus, nedum admirabili ſcientiarum omnium complexione pares tulere. Is eſt Dionyſius Petavius, qui epiſtolâ ad Vrbanum VIII. Paraphraſi Pſalmorum Græcæ præfixâ, in hæc verba mentem ſuam aperuit. *Omnes qui apud Græcos & Latinos poëtica laude præſtiterunt, uno eoque perexiguo libro adeo David antecelluit, ſive ſententiarum dignitate ac pondere, ſive etiam elegantiâ, venuſtate, ac dulcedine, ut inſulſa & incompta reliqua videantur omnia, ſi cum uno illo comparentur.*

Ne quem verò ſollicitum habeat myſteriorum obſcuritas; vel popularis rerum Chriſtianarum cognitio ſatis fuerit ad omnia ferè ſine labore percurrenda. ac ſi quid reconditioris doctrinæ occurrat, umbra tamen & receſſus partem habet ſplendoris: extimus obviuſque ſenſus implendæ menti ſufficit, ornatuque poëtico delectandæ. Tum iſta ſacrorum & divinorum tractatio mirum in modum profuerit etiam mortalia civiliaque meditanti. Vt enim ſapientiſſime veriſſimeque dictum à Tullio

eſt: *omnia profectò, cum ſe à cœleſtibus rebus referet ad humanas, excelſius magnificentiuſque & dicet & ſentiet.*

Hic porrò admonere debeo, quæ hactenus diſputavi, non eò ſpectare, ut Poëticæ candidatis adoleſcentibus interdictum velim omni lectione fabularum; quam lectionem inter prohibendos libros perniciosos Concilia non proſcripſêre, antiquorum Poëtarum ne funditus cognitio tolleretur & jucunda & utilis (quod ſancti ipſi Patres teſtantur) ut, quemadmodum olim ab Iſraëlitis Ægyptiorum ſpolia in ornatum cultumque divini tabernaculi fuere tranſlata; ſic opes ingeniorum doctrinarumque, ab iniquis vindicatæ occupatoribus, in Chriſtianæ Religionis gloriam traducantur. Atenim lectio, cauta, ſobria ſit, non curioſa, non avida: neque omnia quis perſcrutanda ſibi putet; cùm multa ſit ſatius ignorare, quàm perdiſcere, ſtudiis inania, moribus inimica. pendente manu capita ſumma tangantur: nihil inde poëmati ſcribendo, niſi pura ſplendidaque dictio cum ſanis, quæ occurrunt, ſententiis aſpergatur. Quis uſus fabuloſorum ſit nominum, in tertio libro diſcutietur; & habita jam diſſertatio, proximâ diſputatione roborata explebitur.

IHS

DISSERTATIO ALTERA

De Forma & Inventione Poëtica.

UTRUM FICTIO ſit Poëmati neceſſaria?

VENIO nunc ad formam, quæ materiem expolit ac perficit, naturamque poëmatis omnino conſtituit. Quæ ſit autem velut anima poëmatis, non convenit inter auctores. Fictionem multi volunt, & imitatione Poëſin definiunt. qui ſi perfectiſſimam ita Poëſin deſcriberent, audirentur illi fortaſſe: at uno decreto exautoratos, & Poëtarum ordine motos quis ferat ſcriptores omnes haud fabuloſos? Cenſorum iſta nota & animadverſio fuerit, fabuloſo Parnaſſo vaſtitatem inferentium, Muſaſque ſuas maximâ regni parte multantium.

Fabulam indicit Poëtæ Ariſtoteles: fateor; ſed cujuſmodi fabulam? hoc enim ambiguo nomine datus eſt errori locus. Homines tincti leviter litteris fabulam cùm audiunt, illicò fictam fabulam animis fingunt. Æſopica videlicet colloquia beſtiarum, aut ethnica falſorum Deorum ludibria; fabulam præterea nullam agnoſcunt. Verùm alia duplex iſtius vocis notio eſt, propria noſtræ quæſtionis, à Philoſopho uſurpata; nunc materiem, nunc ſtructuram poëmatis fabulam appellante.

De materia jam ſupra diſſeruimus, ac nonnihil de forma ipſa prælibare ob utriuſque partis neceſſitudinem coacti ſumus; & jam, ni fallor, abunde probavimus, veritati poëſin neutiquam repugnare. Sed hoc ipſum, quà formam ſpectat, amplius hîc & cumulatius exponamus.

Ac primùm, ut circa nomina velitemur; quoniam etymologiam adverſarii jactant; Poëticen, Poëſin, Poëma, quæ Græcè artem faciendi, effectionem, effectum ſignificant, & carmini propter excellentiam operis addicuntur: vero ſanè verba iſthæc videntur propiora, quàm commento. Factum nempe falſo fictoque opponitur. Quin ex iis, niſi moleſtum eſt, cenſoribus graviſſimis quæram; artificémne ſtatuant eundem cum creatore, ut ſit illi ſua condenda materies, opuſque ex nihilo conformandum? Facere Poëta debet; materiæ ſcilicet formam ex arte inducere; ſplendidiorem utique eâ, quam tribuit aurifex auro; quod ubi factum vocatur, intelligitur purgatum, procuſum, cælatum.

Sunt auri pondera facti
Inſectique mihi. x. Æneid.

Et à Tullio dicitur *accurata*, facta quodam modo oratio. Sic nimirum eſt faciendum carmen, vel accuratiùs & exquiſitiùs oratione; ac Poëtæ nomen ut ſuſtineatur cum dignitate, rerum verborumque magnificentiâ & admirabilitate informatum exiſtat Poëma.

Neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis; neque, ſi quis ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Excerpſit ultro ſe ipſe numero Poëtarum in ſatyra Horatius, qui in lyrica poëſi *ſumit ſuperbiam quæſitam meritis*, & ſibi Delphicam jure ſuo lauream coronamque vindicat : illic quippe *ſermones repentes per humum componens*; hîc *nil parvum aut humili-ſono, nil mortale loquens*; ſed *æternum meditans decus ſtellis inſerere*. Atqui non res ferè in lyricis fingit; ſed verſus ingenii luminibus, orationis floribus & figuris inſignes, divinam mentem ſpirantes. Deos ipſe quidem loquitur; at non ſæpe loquentes inducit : atque ita non neceſſarios poëmati judicat, ut adhiberi etiam vetet, niſi rarò & conſultò. *Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus inciderit*.

Quod ni ita foret, ut ſine fabula ſtaret poëſis; jam neque hic (Horatium dico,) neque Tibullus, Ovidius, Propertius, ac reliqui pæne ad unum Latini (ut Græcos prætercam, quorum eſt eadem cauſa) in pleriſque ſuis operibus eſſent poëtæ habendi. ne Virgilius quidem magnâ ſui parte eſſet poëta numerandus; cùm Georgica, opus mirificum ipſaque Æneïde perfectius, imitationem habeat nullam & fictionem, præterquam in extremo libro quarto, ubi fabula eſt Ariſtæi; eaque non primo autoris conſilio, ſed Auguſti juſſu prolixæ laudationi ſubrogata Cornelii Galli. Principem ego poëtarum ſequi ſatius duxerim, quàm Ovidium in Faſtis conſectatione fabellarum luſitantem; ingenioſè, ſuo more; ſed nihil ad Maronis gravitatem. Hujus adeò Poëſis, tanquam matrona plena modeſtiæ, plena dignitatis : illius, velut puella ſaltatrix, & feſtivior quàm neceſſe eſt probæ. An verò nullam Virgilio præbebant fictionum opportunitatem

Diique Deæque omnes, ſtudium quibus arva tueri?

quos ille in principio Georgicon invocat longa ſerie & ambitu trium & viginti carminum. Quanta undique Poëtam ſilva fabularum invitabat! nec tamen *carmine ficto, atque per ambages*, (nondum extiterat Petronius, qui legem de *ambagibus* ferret, exemplumque proponeret, de quo poſtea) ſed verâ ſeriâque argumenti ſui tractatione Mecænati delicias fecit. Ingenii maturitate, præſtantiâ doctrinæ, dictionis elegantiâ ſic materiem auſteram excoluit, nihil ut eo rure floridius eſſe queat, nihil fructuoſius & ornatius.

Atenim fabulæ ſubjectam notionem haud eſſe falſitatis, & conciliari cum hiſtoria poſſe, locupletiſſimo teſte evincam Hieronymo: qui ſcriptis in epiſtolam D. Pauli ad Philemonem commentariis fabulam Samſonis vocavit; rem ſine dubio veram, ſed myſticam, admirabilemque Chriſti figuram. Et quidem illam non idoneam poëmati confidenter aliqui pronunciarunt. Sed mox de hac quæſtione videro, cùm agam de ſacrorum argumentorum veriſimilitudine, cujus in priori diſſertatione jacta ſunt fundamenta. Iam certè hoc teneo, ex Doctoris maximi teſtimonio & auctoritate, hiſtoricam veritatem aliquam & haberi & dici rectè poſſe fabulam; ac proinde nihil eos efficere, qui fabulæ nomine abutentes, ita faciendum neceſſariò poëma præſcribant, ut inventionem habeat rei non veræ; eamque demum ſolam eſſe contendant poëticam fictionem. Quo loco deflexerit fortaſſe quiſpiam in ejuſmodi imitatores Horatianam exclamationem.

Vt mihi ſæpe
Bilem, ſæpe jocum veſtri movêre labores!

aut illud alterius Satyrici: *ô curas hominum! ô quantum* in verbis *inane*. Videas enimvero laborioſas

fictiones, longiſſimè accerſitas, miſerrimè tortas, importari magno & ſuperbo apparatu ſtrepituque verborum. Verba excute, fabuloſa detrahe involucra: *tenuem ſine viribus umbram*, rem nullam deprehendas. Quàm ſæpe *eliciunt cœlo te, Jupiter*, ad nugas & delectamenta mimorum!

Hinc ille Poëtices apud multos propè juſtus contemptus, ſi eſſet malorum artificum arti culpa tribuenda. Cum viderent homines non inſulſi, neque ii tamen admodum reconditioris diſciplinæ curioſi, plurimos qui ſe poëtas inſcriberent ac venditarent, Chimæras tantummodò producere; nihil afferri ſolidum, nihil efficax, quod ad locupletandam eruditione mentem, ad componendos animi motus referretur; plauſus riſuſque leviſſimos captari; ludos, ut ſemel dicam, ludi: jam ipſa malè quæſita voluptas corrumpi cœpit faſtidio; admirationem deſpicientia, tanto fabularum ambitu expetitam, intervertit. Morata fabula auditorem lectorémve melius moratur, ut ait Horatius,

Quàm verſus inopes rerum, nugæque canoræ.

Et poemata viri maturi *expertia frugis* averſantur. Quapropter utilitati delectatio, ars virtuti ſerviat.

Pergúntne ſurdiores Mythologi inſtare fictionis inventioniſque nomine; & hunc videlicet murum argumentis piis Chriſtianiſque opponere? perinde ac ſi nullius capax aut patiens fictionis à Poëſi Religio diſſideat. Rem igitur penitus evolvamus; quódque jam ſatis monſtratum eſt, diſtinctiùs apertiuſque declaremus. Inventionem Poetæ cum Oratore communem, omnino ad poema juſtum plenumque neceſſariam conſtituimus, atque in Topicis collocamus. Peculiaris inſuper ac propria quædam eſto Poetæ inventio ad ſtruendum poema, non

non legitimo dumtaxat numero & dimenſione pedum, ſed habitu figurato, & ipſo eloquentiæ delibato flore. Sit Poëtice ars fingendi loco ac tempore: ſit Poëſis vel Poëma (frequenter enim pro eodem duo hæc nomina ſumuntur) ſit opus fictum, ſit machina; modò non neceſſitatis vi, non artis naturâ & lege requiratur; ſed ſcriptoris arbitrio judicioque permittatur. Suam, ſi placet, ipſe ſibi Poëta materiem procreet: tametſi plerumque ſubeſſe debeat quaſi fundus hiſtoriæ, cui magnificè inædificetur; ut ab Homero, Virgilio, Taſſo extructa poëmata comperimus. Quoties denique res feret, adhibeatur fictio; dum caveatur, ne merum inventa operoſa ſonum habeant, aut colorem vaniſſimum: quæ cùm primùm aures ceperint, oculos præſtrinxerint; ſi ad rationem artemque revocentur, ventoſa bracteatáve, ac ridicula non rarò & abſurda reperiantur: ut ſimpliciorem fucatæ adulterinæque poëſeos miratorem, ubi ſe collegerit, exiſtimationis conceptæ perceptæque inde voluptatis pigeat pudeatque. Vno verbo, moderetur prudentia fictioni: cui ſuum eſſe in ſacris etiam argumentis locum, neque anguſtiorem quàm in profanis, non modò probare jam inſtituo, ſed rationes quoque indicare varias materiæ Chriſtianæ ornatiſſimâ formâ induendæ.

DE FABVLARVM NECESSITATE Petronii Arbitri ſententia & uſus præcepti expenditur.

SEd antequam longius progrediar, excutiendum occurit Petronianum illud toties decantatum: *Ecce, belli civilis ingens opus quiſquis attigerit, niſi plenus litteris, ſub onere labetur. Non enim res geſtæ*

verſibus comprehendendæ ſunt, quod longè melius hiſtorici faciunt, ſed per ambages, Deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitandus eſt liber ſpiritus; ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quàm religioſæ orationis ſub teſtibus fides. Si placet hic impetus, etſi nondum recepit ultimam manum.

Orbem jam totum victor Romanus habebat &c.

Atenim quid iſtud rei ſit, perpendamus; & ipſo potiſſimum interprete diſcamus Petronio. Pöëmatis de bello civili ſpecimen edidit, quod excerptum è ſordidiſſimo libello, Pharſaliæque Lucani ſubjunctum, quaſi per inducias belli pudicitiæ indicti ſcriptum, probi lectoris oculi ferre poſſint. Itaque cum à loco de fabularum neceſſitate ad earum tranſeundum ſit uſum, commodè accidit hæc diſquiſitio media utramque inter quæſtionem, & utriuſque particeps. Canentem poëtam audiamus, ut ex præcepti intelligamus uſu, docenti credere quantum debeamus.

Quid ergo excogitavit *ambagioſus* iſte divinorum miniſteriorum arbiter, fabuloſorum inventor machinatorque tormentorum? poſtquam ambitioſè, & Lucano fuſiùs pro modulo poëmatii, multiſque ad Satyræ potiùs quàm Epopœiæ formam contortis verſibus luxum exagitavit, corruptelaſque cæteras illius ſæculi: deinde Plutonem excitat ab inferis, ſtimulos Fortunæ ſubdentem ad evertendum Romanum imperium: cladis inſtantis præſagia exponit: tum laborat cum Cæſare in tranſcenſu Alpium: mox in trepidationem & fugam diſcurris Quiritium: poſtea mitium Deorum, Pacis, Fidei, Iuſtitiæ, Concordiæ ſubjicit receſſum: ſed quò tandem evolantium? in cœlum, cre-

do, ut aliis vatibus placet, terras exoſa Numina ſe recipient. *Præcipitati* homo *ſpiritûs*, Pacem, Iuſtitiam cæteraſque Deas, præcipites dat in barathrum.

Pax prima ante alias . . . relicto
Orbe fugax, Ditis petit implacabile regnum.
Huic comes it ſincera Fides, & crine ſoluto
Juſtitia, ac mærens lacerâ Concordia pallâ.
At contra, ſedes Erebi qua rupta dehiſcit,
Emergit latè Ditis chorus, horrida Erynnis
Et Bellona minax &c.

Denique jam turbatis ubique rebus, confuſis terris, regiâ cœli in partes diductâ, Tartaro erumpit Diſcordia, cujus fuit agmen ducere, primas in ſcena partes agere, omnia movere, miſcere, perſundare. furibundis vocibus acuit gentes ad arma; minutis aliquot juſſis, & quaſi punctis capita belli perſtringit. qui multus fuit in ſeculi deſcribendis vitiis, belli ſeminibus; verſu Pharſaliam attingit; & pro rei atrocitate, verſu levi.

Theſſalicoſque ſinus humano ſanguine tinge.

(Ecquid plenius fuerit ac ſonantius; *humano ſanguine inunda?* vel certè; *humano tinge cruore.* altero verſu rem univerſam exequitur:

Factum eſt in terris, quidquid Diſcordia juſſit.

Num hoc heroicum? *factum eſt in terris.* Quid illi numeri; *jam peragrabantur*; *exonerabantur*; *innumerabilibus?* at hæc alterius ſunt loci, quæ ſtrictim ex occaſione & rei conjunctione anteoccupare licuit. *Ecce belli civilis ingens opus!* en *furentis animi vaticinatio!* *ſi placet hic impetus.* Sed, amabo, quid

hîc tantopere exquiſitum? quid invenit, aut quàm *plenùs litteris, ne ſub onere labatur*, apparet præ Lucano? *Magnus* iſte quidem, non nego, *declamator*, ut ait Auguſtinus; verùm pro juſti poëmatis ratione haud ſanè loquacior Arbitro, quamvis opus delineante; nec pauciores intricans ambages, & Deorum miniſteria fabuloſaque tormenta.

Atenim miſſam faciamus profanorum inter ſe hominum comparationem: hoc demum ex Petronio referamus; bellum civile, id eſt, rem geſtam, poëmatis eſſe materiam poſſe, etſi non hiſtorico filo texendam. Iacent igitur, hujus à ſe adoptati ambitique judicis ſententiâ, fabularum amatores nimii. Nos verò adhibeamus, ſi libet, Deorum miniſteria; non quales impietas & ſuperſtitio finxit; ſed, quales interdum ſacræ loquuntur litteræ: Cœleſtium Geniorum, Chriſtianorum Heroum perſonas inducamus, ac verum ipſum & omnia moderantem Deum religiosè advocemus.

QUÆ IN POEMATE FICTIO dominetur, ac qualis induci Argumento Sacro poſſit?

ETſi fictionem jam demonſtravi conſentaneam poëſi magis quàm neceſſariam; veræ tamen ſacræque materiæ, quidquid eſt hoc laudis, nequaquam deeſſe comprobabo. Quod ut aſſequar, circumſpiciamus, quâ maximè in parte regnet veterum & profanorum vatum inventio. Ea verò potiſſimùm ad proſopopœiam, ut modò ſignificatum eſt, ſeu perſonarum fictionem revocatur. quæ perſonæ hoc tamen diſcrimine inducuntur; ut pleræque in Comico quidem genere, Bucolico, Satyrico viles adhibeantur; in Epico, Tragico, illu-

ſtres; in aliis miſtæ. Atque ut in breviorum hæream poëmatum exemplis, quoniam hæc facilè in uſus quotidianos cadunt; ſic inducit Statius Herculem, Calliopen; Claudianus Megæram, Venerem; Horatius Nereum, Iunonem; Tibullus & Propertius Apollinem; ille fidicinem, hic bellatorem. ſexcenta occurrant ejuſdem generis cùm apud hos, tum apud cæteros poëtas inventa. Et has illi quidem perſonas Ethnico more tractarunt: aliæ nihilominus ab ipſis frequentantur, è media natura excitatæ. rebus inanimis ſpiritus, mutis vox tribuitur. Claudianus Romam pluribus locis; idem Africam, Italiam, Britanniam aliaſque regiones perſonatas exhibet. Propertius Ianuam; Ovidius, qui Deorum formis non Metamorphoſes tantùm, ſed & Faſtos implevit, arborem Nucem, & Librum ſuum, perpetuis uterque elegiis loquentes faciunt.

Celſiſſimus Princeps Ferdinandus Furſtenbergius, Epiſcopus Monaſterienſis ac Paderbornenſis, qui principatum in poëticis etiam obtinet, Vmbronem induxit, nobilem Hetruriæ fluvium, qui Fabii Cardinalis Chiſii, mox Alexandri VII. natalem Hendecaſyllabo mirifico celebraret. Idem Viſurgim flumen, Amiſii Paderæque amnium Fontes, Padulum, Smechtanum, Driburgenſem, & marmoreis cippis & aureis carminibus inſignitos, vocales ac diſertos effecit in Monumentis Paderbornenſibus; quæ non tam illius ampliſſimi feliciſſimique tractûs, quàm eruditionis magnificentiæque tanti Principis in cœlum æterna monumenta ſurrexere. Tum ab eodem Ferdinando miſſi Nummi aurei, quo dono munificentiſſimus Princeps aliquot Poëtas decorare voluit, colloquium ſecum ingenioſè finxit Commirius.

Scientiæ, Artes, Virtutes in perſonas conformantur. Apparent in Prudentii Pſychomachia cre-

bræ Virtutum & Vitiorum proſopopœiæ. Atenim mirificè inſignis eſt illa fictio Chriſtiani Philoſophi Boëtii, quâ ſibi Philoſophiæ conſolationem adhibet, ſapientiſſimo elegantiſſimoque ſolutæ & ſtrictæ orationis colloquio. quem nos ſecuti ducem, eandem Comiti Sampaulano in funere Longavillæi patris Conſolatricem opportunè admovimus; quo ſcilicet tempore princeps adoleſcens philoſophicis operam ſtudiis navabat. Simili ratione Poloniam, Religionem, Veſtphaliam, Croatiam, Gloriam, Pacem, Hymenæum, Galliam, Hiſpaniam, Fidem, Candiam, Honorem, Theologiam, Pronœam, Alethiam, Aſtræam, Eridanum, Clenum, Garumnam, Euphroſynen, Muſas, Genios, ex ordine variorum operum produximus. Num, quæſo, perſonæ hujuſmodi minùs habent gratiæ, quam Iupiter, Neptunus, Iuno, Pallas, aliæque fabulis contritæ? quanquam & aliquas memoravi fabulis celebratas, ſed verbo tenus à profanis aſſumptas. neque enim, cùm inanium deorum actiones in carmina Chriſtiani poëtæ non admittam, niſi contemptim ferè, ac quibuſdam in ludicris; eorum tamen penitùs nomina ſeriis & ſacris extermino: qua de re plura ſuo loco.

Sacris ipſis autoribus frequens eſt uſus Proſopopœiæ. & familiare Syris eſſe, maximeque Palæſtinis, obſervavit Hieronymus, ut ſermonibus adjungant parabolas; quò, ſimilitudine exemploque auditoribus tradita, citiùs quàm ſimplici præcepto capiantur, certiuſque teneantur. Humano ſe captui Deus morique attemperavit loquendi; tum Spiritus ille afflatu myſtico ſanctos vates, & ſcriptores alios cæleſtes intus agens; tum ipſum Patris æterni Verbum aſpectabile, mirabiliterque actuoſum. Notiora huc non adducam: id verò memorabile in primis ex libro Iudicum; ubi conventus arbo-

rum ad eligendum ſibi regem habetur, ſententiæque ab ſilveſtri ſenatu dictæ referuntur. quâ fictione adumbratur Sichimitis exitioſus Abimelechi dominatus. Sapientia, excelſo dignoque præconio ſe ipſa commendans mortalibus, inducitur à Salomone & Siracide; ab illo, etiam domum extruens, inſtructâque mensâ benigniſſimè omnes & ſuapte voce, & dimiſſis quaquaverſum famulis & miniſtris ad convivium invitans, ſalutari cæde immortalis victimæ adornatum.

Hieroſolyma, tanquam Regina ſolio dejecta, calamitate obruta, & lamentis ruinas ſuas orbemque terrarum perſonans, ab Jeremia exhibetur. Babylon purpura gemmiſque collucens, belluæ inſidens ſuperbiſſimæ & immaniſſimæ, ebria ſanguine Martyrum, atque aureo poculo venena gentibus porrigens, imperioſiſſima mulier circumfertur in Apocalypſi. Ibidem à Ioanne, à Paulo in Epiſtolis, à Dauide in Pſalmis, Eccleſia, Chriſti Sponſa, ſine macula, ſine ruga, jam cœlo demittitur, jam effertur in cœlum; byſſo nitidiſſimâ, verſicolore pallâ fimbriiſque aureis circumfluens,& omni margaritarum genere conſpicua. Sed ampliſſimè dramatico epithalamio celebratur, Cantico Salomonio: quâ poëſi quid ſuavius, quid admirabilius inveniri poteſt? niſi fortè cuipiam hæ cœli deliciæ nauſeam moveant, paſtus unus doctarum ſanctarumque mentium exquiſitiſſimus.

An verò poëtica exiſtimabitur illa Tragœdiæ atque Elegiæ, Naſonem captantium, ſtudioſa concertatio? illa Herculem prenſantium Voluptatis & Virtutis, ut eſt apud Xenophontem, contentio? & quæ informatur ab Auguſtino, veterum corruptæ juventutis amicarum, libidinum queribunda inſuſurratio; ac ſpecioſæ dignitati, modeſtæque hilaritati conjuncta Caſtitatis adhortatio, poëſi

non videbitur accommodata? Horatii cum impura veneficaque Canidia ſcurrilis collocutio, Muſis digna cenſebitur; Auguſtinianus hic dialogus, piè induſtriéque theatrali ſcenæ à Baldæo aptatus non arridebit? Ejuſdem Horatii & Lydiæ placebit mutua querela, amoris redintegratio: Perialgis & Agapeti, doloris & amoris partes agentium, de Chriſto patiente Carmen amœbæum animos parum afficiet? vel ipſius Chriſti reſponſa ſancto vati reddita Zachariæ, de vulneribus divino corpore exceptis amantiſſimè percunctanti, delicatas aures alio, quàm par eſt, ſenſu vulnerabunt? Quid? arboris execratio, cujus caſu pæne oppreſſus poëta fuerat, poëticum aliquid ſpirabit? arbori quondam infelici, tum ſalutiferæ ſuſpenſus Deus, graviſſimâ cum Iudæis expoſtulatione corda leviùs movebit quam ſaxa? quæ (malùm) eſt iſta *faſcinatio nugacitatis?* ſoláne placet falſitas & improbitas? nulláne veritatis datur & ſanctitatis imitatio?

Veteres illi Poëtices magiſtri, certè Chriſtiani ſi extitiſſent, pro Diis Angelos memoraſſent, alioſque ſanctos Cœlites & Indigetes. quos norant, quos colebant, Deos loquebantur. Facta rerum eſt feliciſſima converſio; diſcuſsâ erroris ac ſuperſtitionis caligine illuxit aliquando vera ſinceraque religio: cur in tenebras, in ſordes antiquitatis ethnicæ revolvamur? Et quidem exortâ ſemel, omniaque implente jam veritatis luce, maximorum operum autores Epicos (ut ceteros nunc ſileam) videmus perſonas à profeſſa religione abhorrentes non inducere. Homerum affectatus proximè Virgiliumque Taſſus, non eorum hic tamen commentitia Numina adhibet, niſi fortè interdum, nomine tenus, ut Alecto furiam. Beatos verò, infeliceſque Spiritus, Gabriëlem, Aſtarothum; Armidam inſtar Circes, Occaſionem & alia figurata intexit.

Claudianus geminos Theodoſios ad Arcadium & Honorium inter ſomnum allegat: num poëticè minus agit, quàm Virgilius, ubi Mercurium ad Aeneam, Iridem ad Turnum deſtinavit? aut (quod rei noſtræ affinius eſt) jam Anchiſen ad Filium, jam Deos Penates nocte ſubmittit? An verò Theodoſios, Chriſtianos Heroas, à Iove quam à Chriſto miſſos, dicere præſtitit? at hoc Ethnico peccatum homini condonandum. Quid, Horatius magiſne poëta eſt, cùm ſermonem effingit Chironis, quam cùm Reguli, cùm Annibalis? ſed hæc jam diſcuſſa quæſtio eſt in materia poëmatis: quò clarius tamen res tota cernatur, illuſtribus aliquot exemplis propoſitam explicemus.

CHRISTIANÆ FORMA POESEOS argumentis aliquot expreſſa.

AGe ſanè, Chriſtiana in materia fictionem unde accerſemus? quid in re verâ fabulæ inveniemus, atque ex decoro tractabimus? Cùm Alexandri VII. inito pontificatu omnium in ſe oculos plauſuſque convertentis, præconia meditarer: nihil propius fuit, quam ut domeſticum oraculum è Vaticana Sede Petrum excitarem ad tradendam *pontificiam diſciplinam.* hujuſce autem fictionis convenientia (præter loci, quem ſepulcro & ſolio princeps Apoſtolus obtinet, muneriſque ad ſucceſſorum omnium exemplum geſti rationem) inde petitur, quòd inſtituendæ à myſticis Paſtoribus vitæ præcepta ſunt à Petro litteris conſignata. ex quo videlicet intelligitur ſic Alexander Pontificatum auſpicatus, ut *forma factus gregis* Apoſtolicum mandatum impleret, maxima cum orbis totius Chriſtiani & utilitate & gratulatione. Valet ad au-

toritatem gravis, atque adeo cœleſtis perſona inducta: & multò acriorem exerunt vim, quæ tanquam ex ore præſentis excipiuntur monita, quàm quæ velut aliena jacentiaque in librorum monumentis commemorantur.

Sed exultare in bellicis potiſſimè rebus ac triumphare videtur Poëſis, quaſi ipſo tubarum excitetur ſono. claſſica igitur audiamus.

Theodoſius magnus cum Eugenio tyranno confligit impar viribus, & jam parte copiarum pridie ab hoſtibus profligata. Sed, ecce tibi, velut ex compoſito ventus oritur Theodoſio ſecundiſſimus, qui pulveris excitata vi injectaque adverſis hoſtibus aſpectum adimat, ſuaque in ipſos tela retorqueat, Theodoſianorum adjuvet, vehementiuſque in Eugenianos inferat vaſtâ cum ſtrage, mirabilique imperatoris victoria. Age verò, quonam hæc modo poëticè commentanda & exornanda? Rem tangere & indicare verbo videtur Claudianus.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti!

Adfuit tempeſtas in tempore: favit nimirum Æolus. quid, ſi Caſtorem & Pollucem adduxero, quos olim Romani & ſocios pugnæ & nuncios victoriæ ſuſpicati coluere, templo ceu ſtipendio commilitonibus Diis perſoluto? tam poeticum id certè, quàm quòd maximè. At fabulæ ſummoveantur profanæ à Chriſtiana victoria.

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget.

Habet Theodoſius illius clariſſimæ victoriæ certos

idoneoſque duces & auſpices. Poſſim equidem Auguſtos juvenes duos & fratres, Gratianum ac Valentinianum, appoſitè comminiſci ad opem ferendam cœlo delapſos: quorum ab altero Theodoſius collega aſcitus imperii fuerat; alteri tutoris officium exhibuerat: amborum indigniſſimam necem, illius jam gloriosè vindicarat, iſtius tum ulciſci periculosè contendebat.

Verùm hiſtória nobis ipſa tradit & ſponſores victoriæ, & autores, Ioannem ac Philippum Apoſtolos; qui Theodoſio per ſomnii vaticinationem obtulere ſeſe, ultroque promiſere, ante ſigna ſe proceſſuros Chriſti nomine fulgentia, pulcherrimamque de impiis hoſtibus victoriam præſtituros. *Quæ tam poëtica, & quanquam in veriſſimis rebus, tam fabuloſa materia?*

Sic militat æther:
Sic armatæ hiemes, conjuratæque procellæ.

Talibus quondam auxiliis Hebræi vicere, cùm alias ſæpe, tum nominatim ſimillimèque Machabæorum temporibus. Iiſdem præſidiis & Cælitum formis inter arma conſpectis, crebras à Chriſtianis relatas palmas omnium & gentium & ſeculorum celebrant hiſtoriæ.

Neque ab hac inventione poetica abludit Naupactæa victoria (ut alterum hoc ponam inſigne exemplum) cùm ipſâ captorum prælio Turcarum confeſſione proditum ſit, inter acerrimam pugnam objectum ſibi Chriſtum in aere, cum geminis, quos ſua diſtinguerent inſignia, Apoſtolorum anteſignanis;& Angelorum agmine circumſeptum, armis fulminaſſe. Et verò cui potiùs illa tribuamus acceptaque referamus miracula, quibus armati difficillimo loco ac tempore Chriſtiani glorioſiſſi-

mum triumphum reportarint? converſus in barbaros ventus, tormentorum exploſorum fumum cæcaſque nubes, & ipſa in jaculatores tela majori cum impetu rejecit, dum ſolis vibrantibus radiis adverſi oculi Turcarum ferirentur. An mihi dialogum Neptuni cum Marte jactabis? quod carmen Eccleſiaſticis inſerere annalibus ampliſſimæ vir dignitatis eruditioniſque non dubitavit. An inventum probabis Itali Poetæ, qui reſpiciens ad Virgilium & Propertium, Phœbo victoriam adſcribit in Epinicio cæterum eximio?

Atque aliquis, Naupacte, tuas dum tendit ad oras,
Et pugnata refert ſanctis nova bella ſub armis,
Dumque peregrinâ legit Actia littora pinu;
Ecce, ait, hinc pugnas iterum proſpexit Apollo,
Biſque triumphatis Ægyptia ſigna carinis.

Quin Religioni congruenter, & orbis Chriſtiani publico ſenſui, Mariam Deiparam, cœli Reginam, *terribilem ut aciem ordinatam*, ſuis dimicantibus adfuiſſe canas; haud temerè, nec ſolùm ex univerſa qua res Chriſtianas cura complectitur; ſed etiam peculiari propriaque ratione; cùm ipſo prælii die ſolennes ubique terrarum ſupplicationes ad Magnæ Matris patrocinium demerendum haberentur. Atque illi proximè à Deo Opt. Max. tantum illud beneficium ſanctiſſimus Pontifex, ſacri belli fœderiſque auſpex, Pius V. multiplici & immortali monumento gratulabundus aſſignavit: unde *Chriſtianorum auxilium, domina victoriæ*, ſeu mavis *à victoria*, debitis præclariſque cognominibus eſt aucta; conſtitutis haud uno loco templis, ſic tanquam religioſis trophæis, celebri quotannis die ac pompa, ex Beati ejuſdem Pii ſucceſſoriſque Gregorii XIII. decreto, variiſque paſſim aliorum

Principum

Principum & victorum Ducum donis & ornamentis cohoneſtata. quæ decora, nec ſemel, attigi. & libro quidem Parthenicon IV. qui lyricus eſt;

Victricis Dominæ memor
Notum Chriſtiadis auxilium cano.
Scit Naupactus, ubi gravi
Depreſſa exitio barbara Thracia;
Defecitque priùs feris
Fluctus Ionios cornibus arjetans,
Tunc pallens gelido metu,
Turcarumque rubens Luna cruoribus.

Et huc opportunè carmina tranſtulerim, quibus in pari cauſa ex Apocalypſi *Mulierem fortem* exprimere ſum conatus, auxiliariam vindicemque nominis Chriſtiani.

Fulmineas Virgo ſtellis crinalibus ardens
Terque quaterque faces jaculatur, & ignea toto
Corpore tela micant vibranti ſolis amictu.
Sub pedibus Lunæ palleſcunt cornua Threſſæ,
Sanguineiſque horrent maculis, & luce maligna
Deficiunt, Mariæque impreſſâ calce laborant.

Succinunt hæc Deboræ epinicio, palmaris prophetidis; quæ figura extitit MARIÆ Victricis Dominæ ac Triumphalis. *De cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo, adverſus Siſaram pugnaverunt.*

Admonet me celeberrimi triumphi mentio, ut formam indicem aliam atque aliam rei poëticè tractandæ. Pio Pontifici, de ſacra expeditione ſollicito & ſuſpenſo, divinitus accidit, ut quo tempore ad Echinadas inſulas navalis pugna committebatur, è Romano ſuo palatio illuc arcano viſu

excurreret; animo tot ſpatiis transmiſſis victoriæ intereſſet; eamque adſtantibus, admiratione ſimul atque expectatione erectis declararet.

Ita magnus ille Xaverius, Indiarum Apoſtolus, & communis utriuſque orbis ac duplicis jam ſeculi Thaumaturgus, claſſis geminæ concurſum ſpectavit abſens; precibuſque & votis à ſe accerſitam Luſitanorum ex barbara Acenorum gente victoriam, cùm procul ageret diceretque Malacæ ad populum, è ſacro ſuggeſtu deſcripſit figuratè, prorſuſque poëticè; donec apertè diſertéque, quod antè vario cum animi corporiſque motu ſignificarat, expoſuit.

In eundem modum ſi quis res ab eodem Sancto Heroë geſtas poëticè voluerit ſcribere; eas longè prævisas effingere meritò ac verè poſſit ipſius germanæ ſorori Magdalenæ, virgini religioſſimæ, quæ fratrem orbis novi exiturum Apoſtolum divinitus præſenſit, patrique per litteras denunciavit, cùm is de filio Lutetia revocando agitaret. Vel cœleſtem commodè Genium induxerit, ſeu puellæ ſanctæ Cuſtodem; ſive Indiarum Præſidem ac Tutelarem, gentibus ſibi commiſſis deſignatus Evangelii ſator, lucem extremis oris terrarum ac ſalutem illaturus, ne improvida intempeſtivaque revocatione intercipiatur, ſollicitum; qui Magdalenæ mirabilia germani facinora prædicat. Ipſi rerum tantarum præſagia & ſimulacra myſticum per ſomnium Franciſco objecta rectè informentur, cum illâ ſpecie Indi humeros onerantis, non ſine graviſſimo per ipſam quietem anhelantis Xaverii labore; ſed tamen animis uſque adeo ſuperantis atque eminentis; ut propoſito laborum immenſorum acervo inexplebilem virtutem vel ſopitus expromeret, difficillima & aſperrima *amplius ampliuſq*; ſitientem, atque ardentiſſimè provocantem.

Menti occurrant immenſi terrarum tractus; gentes innumeræ,

Quam variæ, linguis habitu tam veſtis & oris;

tot flumina, tot maria; ſcopuli, tempeſtates, æſtus, glacies; montes ignem ſpirantes, vaſtitatis inſanæ muri, omnigenæ morborum peſtes; hoſtium Tartareorum agmina, cum perditiſſimis hominibus, teterrimæ ſuperſtitionis ſatellitibus atque adminiſtris, populis omnium ſcelerum fœdere ſibi devinctis, & in unius capitis exitium conſpirantibus: hæc, inquam, pericula, portenta, funera, variis vagiſque formis ante oculos Xaverii agitentur. An non hæc peræquè poëtica fuerint, ac viſa Sibyllæ apud Maronem & Tibullum, Carmentis apud Ovidium?

Bella, horrida bella,
Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno &c.

Eſt hæc artificioſa tractationis obliquæ ratio, ſive res, quaſi productis perſonis in ſcena geri videatur; ſive tanquam picta cælatáve oſtendatur. Hujuſcemodi artificio ſculpta Virgiliana ſunt illa; Iunonii templi parietes, Apollinei fores, maximéque Clypeus Æneæ Vulcanius. Hæc exempla, has imagines Torquatus Taſſus effinxit in ſcuto Reginaldi vaticino, in ſuperbis Armidææ regiæ valuis; quod eſt à me obſervatum in lyrico de Hieroſolyma liberata. & ipſe talem æmulatus induſtriam ſum in Curru Gloriæ, in regali Mauſolæo, in Heroïcæ patientiæ Chriſtianæque fortitudinis Imagine; in Parthenii deſcriptione & Iconibus, ubi magnificentia Deiparæ, ipſiuſque clientium pietas illuſtribus monumentis exprimuntur.

Speculum haud omittam Milliei propheticum, quo *Moyſes Viator*, vates utique ſummus, rerum

à Chriſto gerendarum perpeſſioniſque ſeriem univerſæ proſpexit. & Falloxius in egregio poëmate quod Hilarii magni & Ignatii Loiolæ ſacrum fœdus inſcripſit, ſic plurimas futuri ſpecies Ignatio ſuo à ſenſibus alienato exhibuit. Nobis, præſentes nimium calamitates dicturis, locum non vulgarem obtulit Iſaïas; *Contemplare in ſpecula.* adfuitque Cyprianus, vir eloquentiſſimus, qui nos illâ ad Donatum oratione, tanquam machinâ, ſubduceret in præcelſi montis verticem. inde *Laborantis Seculi Contemplatio.*

Aſcende, quò te Punicus evocat,
Donate, Præſul: montis in arduum
Subductus eluctare culmen,
Noſtri etiam ſpeculator ævi.
Hinc Argus olim myſticus Africæ,
Longè trahentis funera ſeculi
Latéque proſpectum petebat
Acri acie, radioque mentis.
Heu quanta Averni nubila flebiles
Merſêre terras! ah miſerum chaos!
O fluctuantum ſcena rerum! &c.

FABULÆ SACRÆ CONSTITUTIO*num rectè decoréque ſe habeat in Chriſtiade Hieronymi Vida?*

HActenus de inventione, quâ res ornari ſacræ poſſint: nunc, quemadmodum ſpecimen fabulæ in argumento profano ſupra expendi, ita ſpeciem uſurpatæ in divina materie fictionis explorabo, utrumque documenti cautioniſque gratiâ. Chriſtiadem, opus celebre vatis infulati, ſeligo, cujus in formam & conſtitutionem inquiram.

Ac primum quidem offert ſe Iulii Scaligeri in Poëtica præjudicium, hiſce verbis conceptum.

Mihi videtur, quanquam hoc quoque non caruit obtrectatoribus, in legibus diſponendi materiam non poſſe quenquam meliorem operam poſuiſſe. At verò (liberè ut dicam quod ſentio, neutiquam obtrectandi animo, ſed ſtudio veritatis, & publicæ utilitatis amore) quænam iſta diſpoſitio, ut, Chriſto ad Pilatum rapto, Ioſephum Virginis Sponſum ac Ioannem Apoſtolum introducat Vida in prætorium, fervente Iudæorum tumultu; amboſque loquentes apud præſidem faciat perinde quaſi ab omni ſtrepitu remoti per ſummum otium in umbraculo differant! Haud longior extitit Virgilianus Æneæ ſermo inter convivii Carthaginenſis delicias. libros nimirum hi quoque duos, ſinguli ſingulos, narratione inter ſe diviſâ complent. Nec modò facta Chriſti publica pertexunt, ſed privata: neque ſolùm à cœpta Evangelii promulgatione, ſed à prima pueritia vitam evoluunt: neque hoc tantùm; ſed ipſam matris deſponſationem, & quæcumque ortum Domini anteceſſerunt, minutiſſimè repetunt. Quid enimverò fieri potuit verboſius, quàm quòd Ioſephus colloquia domi habita cum Virgine, ſermones Eliſabethæ, Paſtorum, Simeonis, exponit? quodque mirabilius; ipſorum in limbo Patrum ſuppliciter adventum Chriſti expetentium, oratio refertur à Ioanne.

Et hic quidem jamtum ante Magiſtri necem evangelium condit: jam tum in cœlum velut aquila evolat; extra ſe raptus, & divina patiens, irretortis oculis inacceſſum illum ſplendorem Patris, æternamque Verbi geneſim contemplatur.

Illum adeo tacitum interea mirantur, in unum
Verſi omnes velut ex... imum, ſomnoq; gravatum,
Et crebri excutiunt. demum ſibi redditus ipſe
Cum gemitu ex imo ſic fari pectore cœpit.
Principio pater omnipotens &c.

Tam altè exorſus, procreationem cœleſtium mentium, atque hominum exequitur ordine; Adami delictum, Sanctorum etiam (ut ante dixi) Sanctorum, inquam, Patrum in Abrahæ ſinu ſuſpiria Ioannes commemorat apud Pilatum. Hæc ego non magis à Vida miror ſcripta, quàm ab aliis, quid dicam? non animadverſa? non reprehenſa? laudata quoque, ſi Divis placet. Quid eſt igitur decorum neſcire? quid temporis ac loci rationem non habere? Multa eſſent alia in his, quæ retuli, expendenda, præſertim circa mores & orationes, ne quid loquar de ſtructura ipſa carminis. verùm cenſuram exercere nec vacat, nec juvat. in hoc hæreo: rebus uſqueadeo turbatis, præſidi inquieto, ſollicito, trepido, tàm diſtinctè, tàm amplè & otiosè, ſumma narraſſe myſteria homini profano & ſcelerato!

Stet igitur hæc lex, in omni quidem argumento, ſed in ſacra præcipuè materia; ut ne quid alieno tempore, alieno loco agatur, dicatur: ubique ratio perſonarum habeatur: quid ætas, quid mores, quid ſenſus hominum ferant circa ea quæ tractantur, omnino videatur. His ſummatim præceptis aut monitis facilè multa in bonis etiam poëtis errata deprehendentur; multa prudenter commodéque vitabuntur.

FICTIONIS IN RE SACRA legitima, ceteraque Tractationis Poëticæ Exempla duo, ſuperioribus ampliora.

SAcri Poëmatis notatæ modò labi contrariam oppono fictionis, ex ipſo tempore ac loco cæteriſque adjunctis petitæ, rationem.

Franciſcus Borgia, vir omni laudum genere præſtans; & virtute quàm genere, abdicata dynaſtiâ; quàm poſſeſsâ nobilior; cum ab Pio v. Pontifice adjunctus Comes Alexandrino Cardinali, ad Reges Legato, per Galliam rediret in urbem, obito piè ſapienterque munere; inter deformes luctuoſaſque templi ruinas feſtâ Purificationis Virgineæ luce ſacris operans, febri corripitur ex aſperrima frigoris vi; ſed acerbiori doloris ſenſu, quem violata protritaque ab Calvinianis perduellibus Religio, ante oculos atque inter manus poſitâ clade inurebat. Hæc ſcilicet mortis, quam brevi poſt obiit Romæ, cauſa & origo. Iam hæc mihi ſit Euthanaſia poëticè collaudanda: quid inveniam? unde fabulam fictionemq; ducam? animum in perſonam, in locum, in tempus convertam. Age, perſona quam præbet anſam fingendi? cultor egregius Deiparæ, cujus auguſtiſſimam cellam adiit Lauretanam corpore languido, libens volenſque animam in matris optimæ ſinum depoſiturus. Romam tamen pervectus, ad portam Flaminiam juſſâ conſiſtere lecticâ pro foribus Mariani templi diu ſupplicat moribundus: proſtridie migrat in cœlum.

Hinc patet illius animo obverſatam Virginis magnæ ſpeciem. huc etiam loci, implicata proximè dictis, ratio pertinet: accedit tempus morbi inter Expiationis ſacræ ſolennia contracti. Veniat igitur in conſpectum Cœleſtis Regina: id eſt, mente concepta imago proſopopœiâ educatur, ipſo quo Matris Divinæ honores amantiſſimè recolens tempore locoque in morbum incidit. At quo potiſſimum habitu, qua forma Virgo producatur? Effigiem Virginis à D. Luca pictam, primus exprimendam Borgia curavit. Hac illi figurâ, velut in obſequii religioſi præmium, intuendam ſeſe offerat. Difficile prorſus ac periculoſum eſt Superos indu-

cere loquentes; cum in hujuſce generis orationibus divini ſpecies decori ſit tenenda. habendæ quidem à Borgia orationis materiem ſuppeditarit hiſtoria, ex qua didicimus crebris illum queſtibus uſurpare ſolitum illa Davidis Eliæque verba; *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum &c. dereliquerunt pactum Domini . . . altaria tua deſtruxerunt.* Divæ autem Matris oratio ex præſenti myſterio naſcatur.

Quanquam lætiſſima Purificatæ Deiparæ celebritas agitur; biforme tamen eſt myſterium; & partem habet mœroris à Simeonis vaticinio de ruina per occaſionem Theandri, qui tum puer aris ſiſtebatur, eventurâ, repugnantiáque oboriturâ ingratiſſimorum hominum; indéque acerrimo dolore, tanquam gladio maternum animum trajecturo, & jam tum præſenſione infixo. Dicet ergo apparens affulgenſque Borgiæ Maria.

Agnoſco gratorque pios, Franciſce, dolores.
Carnificum aſperius ferro, penetrabile telum
Tu quoq; nunc animo excipiens, mea vulnera ſentis.

Mox, ut dolorem leniat animi lugentis calamitatem ab hæreticis Eccleſiæ importatam; prænunciabit Ludovicos Iuſtum, & Magnum, ad hæreſin perdomandam divinitus excitandos. Opportunè in Gallia de Chriſtianiſſimis Regibus, ſibique cum toto regno addictiſſimis. Multum intercedebat Franciſco Borgiæ cum cœlo commercium, unde frequens illi rerum prænotio futurarum. Appoſitè igitur verique ſimiliter hæc illi prædicta finguntur; maximè cum Societatem, cujus Borgia præfecturam gerebat, & pii Reges ad ſacras expeditiones pro Religione eſſent adſciturі: & illa mon-

ſtrorum hæreſumque interemptrix, atque ipſa conciliatrice Filius Opt. Max. in tanti conſortium operis, laboreſque palmarios evocarent. Plures in ea ſunt oratione reliquoque poëmate alluſiones, & inventa rei cohærentia, è re nata.

Sed ad majus argumentum tranſeo de fuga & deportatione Chriſti pueri in Ægyptum: cujus inventionem argumenti fictionemque pleniùs tradam ipſo carmine contextam, in coronidem hujuſce libri de materia formáque poëmatis.

Cardine ſupremo & ſpeculâ conſedit Olympi,
Diva potens rerum (Graii dixere Pronœam)
Ac pede Fortunam preſſit; ſolioque revinctos,
Quà libet, emittit Caſus, revocatque ſolutos.
Ardua ſubluſtres umbræ pallatia ſervant,
Audaceſque arcent hominum vaga nubila viſus.
Biſgeminum fortis pariter ſuaviſque per axem
Tenditur, extremoſque coercet dextera fines.
Dextrâ ingens, ſolidumque adamante, oculoque coruſcum
Pervigilat ſceptrum, explorans mortalia facta:
Gentium & imperia, & procerum decora aurea transfert,
Æterniſque regit libratum legibus orbem.
Hinc pendet Natura ferax, hinc Gratia, & Artes;
Hinc puræ, denſo volitantes agmine, vitæ,
Aligerûm manus omnis, & inſuperabile robur.
Qui volucrem ardenti molitus nube columnam,
Ductor Abramigenas freta per bipatentia, & altis
Eripuit ſuſpenſa jugis; crebroque tremendus
Fulgure, mox rapido involvit Pharaona profundo.
Mille alii, ſeu qui pœnis mactare nocentes,
Præmia ſive piis virtutum expendere juſſi.
Myſtica qui patrum ante oculos ſimulacra dedêre,
Quique ſacros olim vates docuêre futuri

Temporis eventus, & amictum corpore Numen.
Præpetibus circùm famulis, pulchroque Pronœa
Septa ſatellitio, partem diviſit in omnem
Felices populis Genios; tum cuique viritim
Aſſignat capiti. Sedenim rerum arbitra, cœlo
Omnia colluſtrans, juſtis ante omnia curis
Servando invigilat Chriſto, cui turbidus hoſtis
Ingruit, eluſaſque Magis furit impius artes.
Nox erat: & Superi Cuſtos Infantis, amorem
Ille Patris nomenque gerens; Regum ille vetuſtâ
Stirpe ſatus, fabrique exercitus arte, jacebat
Haud molli in ſtrato; jam longo victa labore,
Exiguam carpens ſomno per membra quietem.
Aurea cùm facies recluſo effulſit Olympo
Siderei juvenis, Ioſephique impulit aures,
Talibus extimulans certa inter ſomnia dictis.
Surge age, divinaque ſacram cum prole parentem
Avehe, & Ægypti profugus defende latebris;
Dum nova legatus referam mandata Pronœæ.
Imminet Herodes curâ furiatus iniquâ:
Cæleſtem, ne ſceptra manu Solymæa tyranni
Excutiat, puerum exitio jam jamque repoſcet.
Dixerat: & rupto teneri jam Numinis Altor
Præcipitat ſomno corpus; Natumque Parentemque
Amovet, & Pharias tendit nocturnus ad oras.
Nil juſſis turbata fides, tantoque periclo
Spes concuſſa viri: curam non ille potentem,
Servandoque petit patris miracula nato,
Fulmine præſentes inimica in crimina pœnas,
Aut Superûm cingi excubiis, & præpete turmâ.
Nam quid, Cælicolas contra, mortalia poſſint?
Longinquas non ille plagas & barbara regna
Horreſcit: nec Judæa tellure latebras,
Non ſpatia ulla fugæ, dum res componat, & ipſâ
Linquendas patriâ, & tenuis quas poſceret uſus,
Mitiáve exiliis ſaltem loca triſtibus orat.

At cæco raptim obſequio, tacitamque per umbram
Lumina tranſportat Divûm, mirantibus aſtris:
Nec caput ipſe ſuum, neque dulcia pignora cœli
Mempheos infidis dubitat concredere regnis,
Omnium egens, cunctiſque objectus caſibus hoſpes.
Ecce autem, medio properat dum transfuga curſu,
Verberat attonitas ſonus illætabilis aures,
Plurimus & ferri ſtridor, fremituſque virorum,
Vagitus puerorum, & fœminei ululatus.
Reſpicit, incertus rerum, venientia longè
Murmura confuſoque effictos aëre planctus.
Tum lacrymas gemituſq; ciens, parvæ hoſpita Bethlcs,
Squallenti ante oculos Rachel ſe ſe obtulit umbrâ;
Qualis erat, prolem infelix cùm enixa ſecundam,
Ipſa ſui nomen ſupremâ voce doloris
Impoſuit nato moriens: heu, triſtis imago,
Et jam deformis ſimulacrum inamabile vultûs,
Dum male fecundam pœnis diſcerpitur alvum.
Interpres, dux ille viæ, ſubit aureus Ales;
Et luctûs quæ cauſa, docet: quàm fœda cruento
Barbaries ferro Bethleam excurrit in oram;
Inſonteſque metens immani cæde puellos,
Ceu teneros populat tempeſtas horrida flores,
Ah, Regem puerum ferali involuere acervo
Quæſivit, divinum & inobſervabile furtum;
Quæſivit furiis præceps, & crimine inani
Triſte fremens, ipſum bello petere auſa Tonantem.
Purpureum advolitans animarum examen ad ora
Chriſtiparæ, dulcem coram geſtantis alumnum,
Nec quidquam attonitæ viſis, blanditur utrique:
Ac venerans gaudet vitam impendiſſe recentem
Præcepto Domino, & fata ad meliora vocanti.
Interea virides frondoſa cacumina palmæ
Hoſpitibus curvant; miteſcunt aſpera monſtra:
Exiliunt fontes; & queis ſervire MARIÆ,
Queis ſacros pueri velato corpore pannos

Contigit abluere, hinc medicæ promanat aquæ vis;
Irriguiſque vigent hortorum balſama lymphis.
At Divûm, Ægyptus quorum turbâ impia ſordet,
Caſſa ruunt ſimulacra; novoque exterrita motu
Ignotum ſenſére Deum, pueroque latentem.
Semina concepit tellus pietatis; & olim
Tot fecunda viris florentem ornabit eremum,
Ætheriæ aſſimilis, ſuſcepto à Numine, ſedi.

Circa propoſitum exemplum, quoniam hac mihi doctrina ſunt adoleſcentes potiſſimum informandi, nonnulla breviter annotabo. ac primùm generatim; eſſe cuncta hîc ſacra, ſolida, veritate nixa, rei conſentanea: & utilia ſanè; nec verò, niſi me fallit, minùs jucunda. Hîc admirandus ordo rerum ductuſqve Providentiæ, cujus veneratio fiduciaque excitatur, adjuncto ſtrenui perfectique in ſpectatiſſimis perſonis obſequii documento.

Provida Mens, vaſtum imperiis quæ temperat Orbem,
Ipſa ſui cuſtos operis, reginaque fati,

ut cecini ad Borgianam Apotheoſin, hîc effingitur Pronœæ nomine, celebrato à Stoicis apud Ciceronem. & *Providentia eſt ipſa illa Divina Ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit*; prout Boëtianâ ſententiâ deſcribitur.

Sublimi paratio, & nubium quaſi velo obtento, ſignificatur altitudo Sapientiæ, quæ certas obſcuraſque ſimul per machinas ciet univerſa; temerarium inſolentemque ſcrutatorem arcano & incomprehenſibili motu fatigat, perturbat, excœcat. Piis tamen oculis cœleſtium interlucent conſiliorum rationes; & ſimplicis columbæ viſu deteguntur, quæ arrogantis mentis, tanquam ferocis aquilæ aciem retundunt.

Dexteram

Dexteram Pronœæ, mundi terminos continentem attribuimus, ex illo Sapientis pronunciato; *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Sceptrum adamantinum, ob firmitatem; ob perſpicaciam, oculatum; *Virgam vigilantem ego video*; Ierem. cap. 1.

Cœleſtis Nuncii miſſio non ficta eſt; ſed ex hiſtoriæ Evangelicæ monimentis expreſſa: neque ad poëſin, quòd eſt reperta, ſecùs facit, quàm ſi eſſet inventa.

Iam decorum in Ioſephi moribus ſervatur; cui viro ſanctiſſimo, atque ex nutu Providentiæ pendenti, gravis illa & acerba non accidit exilii denunciatio, & fugæ in externam regionem ac barbaram neceſſitas. Divini cuſtodis altoriſque occurrebant profectò memoriæ toties impenſa Dei famulis prodigia; neque eos ſolum vertere juſſos, vitam ut fugâ redimerent. Subibat animum, immiſſos ab Saule in Davidem lictores, Saulemque ſuos ipſum ſatellites obſtinato & cruento animo ſubſecutum, in mentis alienationem incidiſſe; ab Ieroboamo rege intentam manum in prophetam malè minantem, repentè exaruiſſe; Regis itidem Iſraëlitici Ochoziæ ducem, militari globo ſuccinctum, regia mandata ad Eliam cùm perferret, de cœlo tactum cum ſuis deflagraſſe; Syrias copias Eliſæum obſidentes, cœcitate percuſſas, ludibrio fuiſſe vati curribus equitibuſque igneis circumſepto.

Sed his evolvendis non inſiſtendum ſenſi: miracula, fulmina, cohortium cœleſtium præſidia tantùm perſtrinxi, à Ioſepho adverſus crudeliſſimam Herodis inſectationem non deſiderata; dum aliâ longe viâ, Dei Filio quàm ſervis & imbecillitatis præ ſe ſpeciem ferente provideretur. Heroïca planè fides & conſtantia voluntatis, cœleſti Providentiæ penitus ſe ſe tradentis, mirabiliori, cùm

abſiſteret miraculis, potentiamque liberando per effugium Chriſto ſupprimeret, quàm cùm extraordinariam vim tuendis hominibus ſanctis exprompſiſſet. Nec probandus eſt Vida, qui ita meticuloſum fingat illum Servatoris ſervatorem, aurâ ut omni terreatur. Sollicitus quidem eſt amor & vulgò *omnia tuta timens*. at *Iuſtus, quaſi leo confidens*. Non ſine fiducia timuit Ioſephus; curæque ſingulari Superis eſſe depoſitum illud cœleſte, Puerum cum Matre, ſeque utriuſque curatorem intelligens, præſentiſſima inter pericula ſtabat animo, quàm tutus, tam idem ſecurus. Prudens, attentus, conſideratus, malo imminenti creditum ſibi alumnum ſubduxit, divinæ diſpenſationi famulatus expedita celerrimaque obedientia & fuga; ſed citra exanimationem, quam MARIÆ etiam Poëta jam notatus inconſultè affinxit.

Quod autem carnificinam in puellos exercitam cognoſcit Ioſephus loco remotus; quis hoc illi conceſſum, dum res ipſa gereretur, negaverit, qui tantò antè notum Ieremiæ cogitarit, ipſo Matthæo vaticinii certiſſimo interprete? *ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios ſuos*. Hæc adeo illi fugienti Rachel, jam non *decora facie & venuſto aſpectu*, qualis Iacobo placuerat; ſed extremo labore deformata confectaque objicitur. Laborat ipſe verſus, nixum ut exprimat, quo perægrè fœtum edidit puerpera; eumque, cruciatu deficiens, mortem ſub ipſam nominavit Hebraïcè *Benoni*, id eſt, *filium doloris mei*. Iam Bethlemio ſuo ſepulcro exurrexiſſe, & matrum orbarum indutâ perſonâ plangere infantium cædem atrociſſimam videtur. At verò parvulorum animi corporibus ſoluti, quam Chriſto debent, venerationem gratulantes deferunt, *palmæque inſigne decorum*; id quod alibi concinui.

Puero pueri data victima, & Agno
Primitiæ cecidere: Agnum, quacunque ſequaces,
Et maculæ expertes, niveo comitantur amictu.
Hic illos quondam excipiet ſuper aſtra beatæ
Sortis honos: nunc, umbroſa ſtatione priuſquam
Abrami ſubeant gremio, mortalis adorant
Numinis æterna demiſſam ab origine lucem.
Dulcia præcipiunt avidæ ſpectacula mentes,
Quæ ſanctis lætæ hoſpitibus ſolatia narrent;
Jamque adeo terris partam affulgere ſalutem;
Mox Domitorem Orci, libertatiſque parentem
Affore, qui poſtes æratos, infera ſepta,
Rumpat, & æthereas rapiat ſpolia ampla ſub auras.
Sive malit quis rei ſummam, paucis comprehenſam;
Candida plus fudit lactis, quàm turba cruoris:
Gaudia nunc agitat palmari debita letho;
Exortumque jubar terris venerata ſalutat,
Nuncia maturæ Patribus ventura ſalutis.

Palmæ verò inclinatæ advenienti Domino, fons, quo B. Virgo utebatur, inde medicatus; atque ad lætitiam & fertilitatem irrigatione horto balſamino inducendam, à Saracenis ipſis vel hauſtus, vel derivatus: collapſaque Ægypti ſimulacra, ut olim coram Arcâ Dagonis idolum; ex hiſtoria ſumpta ſunt. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti à facie ejus.* Quam Evangelici Prophetæ vocem interpretantur multi Patres de hac nominatim Chriſti deportatione per Matrem Virginem, & ingreſſione in Ægyptum. Apprimè in hunc errorum ſcelerumque potentiſſimum auguſtiſſimumque Victorem cadit, quod aſſentatoriè Maro cecinit de Cæſare Octaviano.

Hujus in adventum jamnunc Mareotica tellus,
Et ſeptemgemini turbant trepida oſtia Nili.

Quodque alius aſſentator impiè mentitus eſt de ſigno Herculis Epitrapezii;

> *Deus ille, Deus, parvuſque videri,*
> *Sentirique ingens;*

aptè quadrarit in *Verbum abbreviatum*; quem tum Ægyptus *Deum abſconditum* non agnovit, at perſenſit. Terra ſuperſtionibus contaminatiſſima, Chriſti demum hoſpitio ſic expiata eſt; Solis aſpectu myſtici & benignitate ſic recreata fecundataque, ut frugem poſtea ſanctitatis funderet uberrimam. Hinc illa nimirum beata ſeges tot cœleſtium hominum, Paulos, Antonios conſectatorum; omniſque virtutis exempla in cunctas & gentes & ætates propagata.

Fabuloſus ille Nilus, totaque Ægyptiacorum Deorum farrago, quantam ingerebat ad locupletandum ornandumque poëma argumentorum affluentiam! quàm amplus dabat ſe locus prædicendæ Ioſepho ab Angelo, duce & comite, incredibilis rerum commutationis; ac præmonſtrandæ Thebaidos florentiſſimæ, toto quondam orbe terrarum ſpectandæ, & ipſis aliquando Auguſtis venerandæ! quemadmodum & præbitus ſupra fuerat aditus ad cædem innocentium puerorum, quam attigi, directè copioſéque enarrandam. Verùm ego nulla tali ſum uſus facultate; propterea quod carmen iſtud ex libro Parthenicon tertio decerptum eſt: quo libro cum Virginis Chriſtique conjuncta perſequar myſteria, proportionis habenda ratio fuit, neque longiùs in unius exilii aut infanticidii narrationem excurrendum. Indidem factum eſt, ut præfixum non ſit huic poëmatio exordium: quæ tamen pars nullo incommodo ſæpe omittitur: unumque id mihi propoſitum fuit in hocce opuſ-

culo afferendo, ut inventionis fictioniſque ſacræ ſpecimen exhiberem. Aliunde modum formamque propoſitionis & invocationis ſuggeret liber proximè ſequens; ac poſtremus variorum exempla poëmatum integra plenaque ſuppeditabit.

Interim hoc monuerim, tantùm abeſſe me ab aucupandis ex omni genere, & undique carpendis figmentis; ut non profanis modò fabulis conſultò in ſacris abſtinuerim, ſed à plurimis etiam ſanctioribus additamentis, quæ ſe ſe obtrudebant, certioris utilitatis cauſâ temperarim; quò pietati velut purior campus, & via diverticulis minùs flexuoſa panderetur. Denique, hiſtoriæ quidquid uſquam delibavi, tractare ita ſum conatus, ut nihil fabula fidei, nihil ſuavitati veritas officiat.

DE CARMINE SYMBOLICO & *Intercalari.*

TOt explanatis jam Inventionis Poëticæ viis, nec inobſervatum relinquam poſteriorum ſeculorum inventum, *Carmen*, ut vocant, *Regium*; quod Toloſæ præſertim celebratum eſt, atque à Ionino, felicis ingenii viro, frequentatum, & à Canuto in laudem Virginis Matris; cujus etiam ſeptena myſteria copioſiſſimè triplici volumine perſecutus,

Ceu ſeptemgemino volvitur alveo
Dives Nilus aquæ, ut olim ſcribebam.

Et his illi quidem ſtant legibus, ut certo verſuum intervallo Carmen recurrat Intercalare; tum, quod caput eſt, ut poëmate in toto regnet allegoria, cujus expoſitio ultimâ decade ſubjungatur.

Lilii, Roſæ, Auroræ, Lunæ, Solis figura proponitur; ac floris aut ſideris, vel quod aliud ſumptum ſymbolum eſt, dotibus oſtentatis, deſignatæ Virginis aperitur nomen, evolutaque illi ſpecies applicatur.

Huic affine apud Anicienſes, Rothomagenſes & Cadomenſes pietatis ac doctrinæ eſt inſtitutum, præmiis in honorem Immaculati Conceptûs Mariani conſtitutis. cujus extat formæ clariſſimum exemplum, Ode Ruæi gemina, utraque laureata. Allegoricè itidem carmina iſta decurrunt ad Strophen extremam, quæ apodoſin habet. Idem ſcriptor Lemmata Symbolica in elogia finxit compendiaria: quo ſymbolicæ ſcriptionis genere ætas noſtra floret. ac noſtris in operibus Lyra Cœleſtis apparet Poëticæ Ferdinandi gloriæ ſymbolum, cum hac Epigraphe; *Inſignis ſplendore ſonoque*; lyrico ipſa carmine explicata.

Sunt & alia, quibus Principis celſitatem natalium, morum integritatem, ſuavitatem carminis, beneficentiæ perennitatem exculpſi. Mons arduus cum hoc Lemmate, *Caput æquat Olympo*; nomini reſpondet, altitudinemque generis ac virtutis & monſtrat & ſonat; cum Herois Montem *Furſtenberg* ſignificet Germanicè.

Cycni *candorque canorque* felici agnominatione feliciorem inſinuat rerum conjunctionem.

Fons ſaliens *alta petit, ſubmiſſa rigat.* ſic prorſus, ad cuncta & ſola principe digna tendens conſiliis, benignitate ad ima ſeſe Ferdinandus ultro demittit.

Rex apum examen antevolat, *dux idem cuſtoſque operum*: ubi ad Virgilianum effatum alluditur; *Ille operum cuſtos.* præit videlicet exemplo Princeps doctiſſimus operoſis vatibus; *apum more modoque thyma carpentibus*; munificentiæque ſumptibus

edita opera conſervat ad immortalitatem.

Digreſſioni, ſi qua eſt, venia facilè dabitur, nec prolixæ, neque inutili, & quæ memoris gratique animi virtuti impendatur, & ipſa ad pietatem referatur. allegoriam ſanè docet ſacris rebus accommodandam, & ſacris adeò litteris familiarem. Ad hunc modum fluxam fallacemque rerum ſpeciem humanarum oſtendi ex Iride, juxta illud Paulinum oraculum; *præterit figura hujus mundi.*

Aſpice, quam blandi nebulam pinxere colores:
Inane rerum, ſplendidam in ſcenam datur,
Fulſit ubi vario cœli Thaumantias arcu,
Superba ſolvit imbribus ſpectacula.
Non ſolus vacuâ mentitur imagine Titan;
Utcunque fingit nube ſucatâ Iridem.
Omnia fallaci ſpecie mortalia ludunt;
Natura rerum fragilis, & fluxus decor.
Mendax, forma, color: primis ubi floruit annis;
Marcens amœno defluit vultu roſa.
Gloria vana micans ubi luce arriſit amicâ,
Obſcura triſti Fama contemptu ſilet.
Lubrica Fortuna, atque oculos ubi cepit avaros;
Senſus metallo divite illectos fugit.
Sic vario nitida oſtentant ſimulacra colore
Titulos, amores, cumque deliciis opes.
Picta ſed aërii vaneſcit pompa theatri,
Fugax imago, ſplendidum ludibrium.

Quod ad Intercalaria generatim ſpectat carmina; tametſi repetitio iſta, recurſuſque, adjuncta quædam forma ſit; magiſque ad elocutionis tractationem, quàm ad hunc pertinere locum videatur: ex occaſione tamen, utque à me ſcriptorum in tali genere carminum ratio conſtet; dicam, non eas mihi

me leges propoſuiſſe, quas Gallia ſibi præſcripſit Narbonenſis. Moſcum reſpexi, Bionem, Catullum, Virgilium, inter profanos. Nam & Regius Vates hoc artificio pſalmos aliquot diſtinxit; & centeſimum ſextum, ac trigeſimum quintum ſupra centeſimum majori varietate inſigniit. Semel in argumento non ſacro uſurpatum hocce genus, in Bethlemio ſtabulo adhibui, non ſervato carminum certo numero, antiquorum in formam intentus; quem tamen numerum in Chriſto Patrum Liberatore dimetiri & ſervare libuit.

APPENDIX

VTRIVSQVE DISSERTATIONIS

De Materia Formaque Poëmatis in rebus præſertim Sacris.

DIſſertationem ſuperiorem geminam obſervatione gemina concludo & obſigno; alterâ, qua duplex emendetur peccatum vel falſi judicii, vel affectus vitioſi; alterâ, quæ in poëticam rerum ſacrarum difficultatem animos roboret, ingenia ſublevet.

Prius illud, à quo cavendum moneo, peccatum accidit, profana ſacris miſcendo. quo in genere nec pauci, nec parvi ſolùm gregariique ſcriptores, lapſi ſunt. at erratis parco minùs illuſtribus. Sannazarius in nobili poëmate de Partu Virginis peccavit inſigniter, cùm alibi, tum nominatim, ubi Iordanem inducit Chriſti miracula à Proteo accepta recinentem. Nunquam, opinor, vocem illam cœleſtem vel audierat, vel auſcultarat: quid luci commune cum tenebris? qui concentus Chriſti cum Deo Chimærico? Iordanis effusè geſtientis

proſopopœiam non reſpuo, figuram, ut antè diſſerui, ſacris etiam litteris familiarem: at Proteum ferre nequeo vaticinantem cum gratulatione de Chriſto, terras eum ſalutari adventu recreaturum; & aquas ſicco pede ambulantem, à Neptuno cum Nereidum choro, univerſoque ſemiferorum Deûm comitatu celebrandum.

Ne tibi fingendi ſubeat tam prava libido,
Quamvis ancipites cantarit Græcia formas,
Et phaleras miretur adhuc rude vulgus inanes;
Turba ſacri nec curet iners læto ubere fontis
Illimem ambroſiam, ſincerum ducere nectar;
Sordenteſque trahat putri de gurgite rivos.

Graviùs etiam peccatur, ſed in mores; ubi aut iiſdem, quod eſt deformius, aut ſeparatis operibus fas nefaſque impuritate permiſcetur. Non ego politica, ſive alia quædam indifferentia mediaque veto ſacris inſpergi: quod ſæpe ipſa jubet prudentia, ut varietate & feſtivitate occurratur ſatietati lectorum, haud ſatis divina ſapientium. nec fabulas interdum ethnicas, opuſculo quopiam diſtincto per ludum, aut via ſubinde explicandâ, Chriſtianis poëmatis interſeri, nefas duxerim. at impudica ſacris flagitioſaque admiſceri; id verò non modò abſonum, ſed nefarium prorſus, horrendumque & judico & execror. Humano capiti cervicem equinam tolerabiliùs à pictore adjunctam cernas, & alia quæ riſum motura ſpectatoribus ab Horatio proponuntur. Monſtrorum iſthæc poëticorum in moribus ſpectata deformitas, non riſu, ſed fletu digniſſima;

Mixtumque genus, prolesque biformis;
Sirenes è fabula; quæ *non impune canoras*
In peſtem vertêre lyras.

Quàm turpe, quàm importunum monſtroſumque fuerit; *ex eo numero qui ſemper apud omnes ſancti ſunt habiti atque dicti* (ut affirmat Cicero) vel unum extitiſſe, qui, nomine indignus poëtæ, nefanda caneret; ſibique ipſe diſſonans & obſtrepens, caſtè piéque à ſe ſcripta detereret & inquinaret!

Eheu, quid voluit miſero ſibi? floribus Auſtrum
cum Virgiliano Corydone, vel angues
Perditus, & liquidis immiſit fontibus apros.

Talia paſſim à Poëtis extant commiſſa flagitia, etiam Chriſtianis. quod eſt longè indigniſſimum, homines ſanctiſſima lege obſtrictos, & divina præfatos, ita fœdè à ſemetipſis degeneraſſe; infatuato depravatoque Salomoni perſimiles: qui, miſerrimus ſenex, poſt excitatum infinito ſumptu ac ſplendore, dicatumque vero unicoque Numini templum, idem commentitiis probroſiſque diis fana ſubſtruxerit, thura incenderit; laudem omnem ſapientiæ & religionis, partamque opere magnificentiſſimo gloriam, effuſa libidine ac deteſtabili ſacrilegæ ſuperſtitionis labe & ignominia corruperit atque extinxerit. Nec leviter in hac parte offendit Sannazarius; qui poëticè auguſtiſſimis initiatus myſteriis, à Partûs Virginei celebratione ad improba in eclogis, in elegiis; ad obſcœna in epigrammatis defluxit. quod opera clamant; ac l. III. elegia ſecunda narrat. Et hoc vitii intactum irreprehenſumque Scaliger non dimiſiſſet, qui ſuperiorem ex Proteo maculam præclari poëmatis, cum aliis multis imprudentiæ peccatis rite notavit.

Ad illam ego animadverſionem confuſionis à vero ſanóque judicio aberrantis ut redeam; ſic planè ſentio, ſacra ſacris eſſe illuſtranda: ac proinde, quemadmodum ethnici ſuas, cum de falſis

Diis agerent, fabulas inculcarunt; ita Chriſtianis hominibus in religioſis argumentis hiſtorias divinas & ſententias inneſtendas cenſeo. Rem, dicet aliquis, difficilem! averſis à pietate, à ſacrarum ſtudio litterarum alienis, non nego. Sed mihi omnis oratio eſt cum piis animis, & iis aut jam eruditis, aut ſtudioſis certè, ac veræ gloriæ cupidis; qui cum Propertio, ſed meliori in cauſa, meliori mente profiteantur:

Magnum iter aſcendo; ſed dat mihi gloria vires:
Non juvat ex facili lecta corona jugo.

Sit ſanè argumenti ſacri, quàm profani, impeditior tractatio, quando ſuæ præclara omnia circumſtant difficultates: & alis per fabuloſa quodammodo vehimur alienis; per ſacra propriis eſt nitendum viribus, minori quidem externo ſubſidio. A puero imbuitur cognitio fabellarum: fabellæ prima quaſi elementa ſunt Poëtices; neceſſariâ veterum lectione Poëtarum ediſcuntur, qui multa magnaque præbent adminicula res profanas agitantibus. Atenim quantò facilitas operis major, tantò laus minor, uſu communi pretium detrahente argumentis contritis & ſordidis. Hæc nimirum illa ſunt, *quæ vacuas tenuerunt carmina mentes, Omnia jam vulgata.* Cui enim fabulæ vel indictæ, vel ignotæ? Generoſus verò animus, vulgaria deſpiciens, item cum Marone fidenter canet:

Tentanda via eſt, quâ me quoque poſſim
Tollere humo, victorque poli *volitare per* oras.

Quòd ſi, teſte judicéque Horatio,

Nil intentatum Latii *liquêre Poëtæ,*
Nec minimum meruêre decus, veſtigia Græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta:

quid inexpertum relinquere debent vates Chriſtiani? quantúmque gloriæ ſplendorem collecturi ſunt, ethnicorum volutabra fugientes; in cœlum exurgere, ſummáque facta celebrare aggreſſi, *cives ſanctorum, & domeſtici Dei!* Quamobrem *ſapere aude*, quiſquis hanc ſpeciem honeſtatis agnoſcis; neque difficultatis opinione præjudicioque fallaci deterritus, res poëticâ meditatione ſacras experire. Vel ſi vires defecerint, in magnis laudem habet & voluntas & audacia. At primum aderit præconi ſuo Deus, & præſentiſſimo numine adſpirabit. deinde humana tibi non deerunt præſidia, niſi te ipſe deſeras. An verò profanus amor, ingenii pars erit; divinus ſi pectus accenderit, mentem non illuſtrabit & acuet? an laurea fragilis, & umbra decoris tantum poterit, ut ſeceſſum, ut vigilias, aliaque incommoda vitæ poëticæ, dulcia efficiat; corona immortalis propoſita non excitabit, ut certatim hoc aperto & invitante campo curratur?

Rudem eſſe omnino in noſtris poëtis (inquit Tullius) *aut inertiſſimæ ſegnitiæ eſt, aut faſtidii delicatiſſimi.* Et loquitur de Atilio, quem jure appellatum *ferreum ſcriptorem* opinatur; *ſcriptorem tamen, ut legendus ſit.* Cujus igitur eſt ignaviæne, an ſuperbiæ, ſacras litteras non deguſtare? unde tam inſolens, ne dicam impium, faſtidium? à ſermonis, credo, vilitate, quâ altiſſimas ob cauſas voluit Deus myſteria obvolvere. Non eſt hic de quæſtione à Doctoribus Eccleſiaſticis perpurgatâ dicendi locus: verum quod ad uſus poëticos attinet, jam non uno loco notavimus miram Divinæ Scripturæ cum ſimplicitate vim, verba ſapientem, quibus grandior ac ſplendidior exiſtat poëſis, dummodo ad materiem præſtantiſſimam artifex non ineptus acceſſerit. Formas aliquot ex iis, quarum plena ſunt illa adyta, protuli: atque hoc univerſe

fas

fas eſt ponere; nihil uſquam inveniri tam poëticum, quàm veriſſimam illam, at ferè ſymbolicam, Deoque autore digniſſimam Scripturam.

Neque de iis tantùm loquor partibus, quæ carmine conſcriptæ ſunt; cujuſmodi ſunt Iobi ferme omnia, Davidis ac Salomonis libri, Threni Ieremiæ, Moſis cantica ambo: ſed Prophetæ omnes, planè vates ſe figuris, & rerum ſimulacris, totoque eloquendi genere præſtant. Ipſi quoque hiſtoriarum libri, ceterique Hagiographi, poëticâ ſunt dictione perſperſi, in canticis præſertim; quæ ſi non omnia ſunt metro Hebraïco modulata, quemadmodum illa Moſaïca; certè peculiarem quandam poëſeos auram ſpirant, quam nomine ipſo præ ſe ferunt. In novo autem inſtrumento Apocalypſis, quanquam oratio ſoluta, ſic tota poëtica eſt; ita denſis referta, immo perpetuis contexta ſymbolis, tam variis, tam magnificis; ut conatus omnes humanorum ingeniorum, machinationeſque artificioſas infinitis una partibus vincat. Et verò præcipua quæque, nobiliſſimorum Prophetarum ſcriptis diſperſa, hic extant collecta: quæ circumfuſa licèt caligine, myſticiſque obducta velis, adeo eminent tamen, ac ſplendeſcunt, ut in ampliſſimo theatro multiformique ſcena agentem Deum intimis pænè ſenſibus uſurpes.

Agedum, quid ad poëſin requiritur, quod affatim non ſuppetat è ſacroſanctis illis monumentis? Quid iis ad majeſtatem auguſtius, ad ſuavitatem elegantius, ad varietatem copioſius, ad motum omnem accommodatius aut eſſe aut fingi poteſt? Res quidem tantæ ſunt, tamque admirabiles, ut ſibi ipſæ magnitudine officere ſuâ, quò minùs in poëſin quadrent, multis videantur: uſque eò veriſimilitudinem, atque ipſam poëſi quæſitam ad-

mirationem ſuperant ! Quam ego calumniam & jam ſupra dilui, & alibi pleniùs refellam : hoc ſolum interim dicam ; ita poëticas eſſe voluminum Divinorum materias, ut crebræ ad fabulas traductæ fuerint ; & quamvis ethnicis deformata nominibus erroribuſque argumenta, quæ commemorare hîc neceſſe non eſt, ſpectatiſſima profanorum ſint poëtarum ornamenta.

Vtrum verò indignandum potiùs, an miſerandum eſt, homines Chriſtianos in fabuloſis chartis habitare ; in veritatis ipſius tabulario ſacriſque domeſticis peregrinari ? ea quæ fœdiſſimis, unde infeliciter prodierant, tenebris aliquando retruſa conſepultaque oportuerat, ferre in oculis magnificéque oſtentare ; ſimul divino ſplendori cœcos eſſe ; divina ſapientiæ charitatiſque infinitæ pignora ne attingere quidem ; aut quâ ſint parte attrectanda, & in eruditos uſus ducenda, cogitare : nec quidquam præter myſteriorum terrores, planctus pœnitentiæ, dæmonum ululatus ſuſpicari in codice, qui rerum pulcherrimarum numero & varietate majori diſtinctus, quàm omni ſtellarum ornatu & deſcriptione cœlum eluceat. Si te armorum ſtrepitus, buccinarum cantus afficit ; quæ bellorum magnitudo par iis, quæ Iudicum, Regum, Machabæorum annalibus continentur ? ſi te jucunditas pacis, ædificiorum magnificentia, pomparum apparatus, reliquæ animi ſenſuumque honeſtæ illecebræ delectant ; quid amœnius, quid ſplendidius Apocalypſeos (hiſtorias ut prætercam) aurea gemmataque Hieroſolyma, fontibus amnibuſque cryſtallinis, pomario aſſiduis & ambroſiis fetibus gravato, citharis vocibuſque concinentium Angelorum hominumque beatorum ? Quæ in Propheticis Apoſtoliciſque dictis ad incendendos animos faces ! quàm crebræ in univerſa ſcriptura, quàm

vividæ, quàm inſignitæ imagines!

Hîc quempiam audire obloquentem mihi videor: heus tu, cunctos promiſcuè in ſacras litteras immittis? vulgíne oculis arcana religioſiſſima velo reducto objicis? ſtudiíſne puerilibus difficultates tam ſpinoſas, tam inextricabiles, quæ maxima ad hunc diem exercuerunt ingenia, ſubjicis? Ego verò libenter ac vehementer eos, quibus per ætatem licet, quíque jam eruditione ceteriſque ſunt neceſſariis adjumentis confirmati, adhorter omnes, ut ſpreto abjectoque ſuperſtitionis fabuloſæ choragio ad iſta ſe Chriſtianæ Religionis ſacraria transferant, oraculiſque non fallentibus venerabundi advolvant. Vtinam hanc mihi Deus facultatem induſtriamque conceſſiſſet; in hanc rem operâ uti meâ ſtiloque dignaretur; ut homines ingenio præditi, poëticæ laureæ captatores, ad pia Chriſtianoque ſpiritu digna argumenta ſe ſe converterent! O bene feliciterque ſuſcepti collocatique labores mei, ſi nonnullis (neque enim de omnibus ſperandum eſt) qui luto flagitioſorum carminum, vel aliter profanorum turbidâ certè lacunâ ſe ſe immergere ſolent, perſuaſero, ut ſanctos auguſtoſque Chriſtianæ Poëſeos fontes adeant inde veram uberemque lætitiam, inde ſalutem ac perennem hauſturi beatitatem!

Quid autem iis fiet, qui nondum ætate judicioque maturi ſcripta ſancta pervolvere legitimè non poſſunt? unde tironibus rerum illarum ſublimium ac cœleſtium cognitio ad poëticam exercitationem parietur? Hæc nimirum cura inſtitutoribus rudis ætatulæ incumbit; ut pro fabellis, quarum auditione pueri capiuntur, teneras aures circumſonent hiſtoriæ lectiſſimæ, apologi myſtici, cœlo delatæ ſententiæ, breviſſima certiſſimaque oracula. quibus eos ſi non domeſtica primùm diſci-

plina imbuerit; ut optandum fuerit, Chriſtianoſque decuerit, ipſo propè cum lacte talia combibere documenta: ſanè in ſcholis religioſis, ne quid hîc de concionibus aſceticiſque libris dicam, ſic erudiuntur, ut hæc Chriſtiana inſtituta non ad morum duntaxat conformationem, ſed etiam ad uſum artis referantur. Neque verendum eſt (uti jam, nec ſemel, diſputavi) ut hæc ſatis doctrina valeat, cùm eſt idoneam complexa indolem; culturáque tam frugiferâ ſeges lætiſſima poëſeos eniteſcat.

Enimverò, ut ſacrâ materiâ in oculis poſitâ ad formæ adjuncta nonnulla, & poëtica inſtrumenta progrediar; quid profanos apud ſcriptores honeſti pulchrique reperias, quod, ſi non eadem ſpecie repræſentetur, amplè luculentéque à ſacris autoribus non compenſetur? Parnaſſum & Hippocrenen deſideras? habes Sionem montem, & *Agni fontes* puriſſimis liquidiſſimiſque deliciis affluentes. Phœbum & Camœnas repetis? ecce tibi *Scientiarum Deus*, Chori cæleſtes, Citharœdi coronati.

Virginei Dux ille gregis, Cuſtoſque, nec unquam
Velleris intacti niveos maculatus honores;
Septem oculos, ſeptem, Regum potiora coronis,
Cornua ramoſæ circumdat eburnea fronti;
Vnus ſepteno monimenta obſtructa ſigillo,
Æternæque potens arcana reſolvere ſortis.
O quàm dulce melos nitidæ ſuper aſtra catervæ!
Pompa Sionæum colluſtrat candida montem,
Quà-ſe-cunque tulit cœli pulcherrimus Agnus.

Tum idem, ſed Leoni quàm Agno propior, qualis ex Ioannis hypotypoſi procedit Rex regum, Dominus exercituum, capite diademato, igneis ocu-

lis, ore gladium vibrante, cruento paludamento, dextra ſceptro ferreo armatâ; equitum immortalium copias ducens candidatas, æternamque ſeriem triumphorum! Deus quidem unus omnia permeat & complectitur eminentiſſima ſimpliciſſimaque perfectionum infinitate; idem pacis & belli, naturæ artiumque princeps, autor & moderator. at varietatis gratia, utque præpotentis ipſius Domini modum ordinemque gubernandi ſubſequare; Spiritus, veri ſupremique Numinis Adminiſtros interpone. Hi bonâ fide, & multâ cum dignitate, partes omnes falſis demandari Diis ſolitas implebunt. Cur gratuitò profanus eſſe malis, cùm nihil tibi à Religione deſit aut præſidii aut ornamenti?

Martem ad bella tibi fabula ſuggerit? Michaëlem antiquiſſimo bello emeritum Ducem veritas offert, monſtroſiſſimi draconis victorem. Hunc eundem, ut communis fert ſententia, Ioſue vidit in agro Ierichuntino *evaginatum tenentem gladium, Principem exercitus Domini.* Sive idem, ſive alius extiterit, *Hieroſolymis* qui *apparuit præcedens* Iudæos *eques in veſte candida, armis aureis, haſtam vibrans*; ecquid is Gradivi locum munuſque rectè occuparit? Quid illi, qui commiſſâ cum Timotheo pugnâ *apparuerunt adverſariis de cœlo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Judæis præſtantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis ſuis circumſeptum incolumem conſervabant; in adverſarios autem tela & fulmina jaciebant:* num ii minùs quàm Apollo ſagittarius, aliique belligerantes dii, vel opis vel admirationis ad victoriam attulerint? Faceſſat Mercurius cum talaribus & caduceo: en Divini Interpretes ac Nuncii, quod Angelorum nomen ſonat; alati, ut frequenter conſpecti ſunt; nec ſine virga mirifica, cujus Ezechiel ac Ioannes meminêre. De ignibus

ſi agitur ; quid mereas, ut cum loripede Vulcano poëma tuum claudicet ? præſtò ſunt denominati ab ardore Seraphimi : quorum è numero

igneus Ales
Amoſidæ quondam vati carbone ſacrato
Labrorum excoxit vitium, auguſtoque dicavit,
Purgata eloquio, & vivo verba imbuit igni.

An non Ignipotens Angelus, qui Babylonicam in fornacem allapſus, juvenes fortiſſimos & ſanctiſſimos tres, non tantùm excuſsâ flammâ illæſos præſtitit ; verum etiam quaſi aura leniſſima & rore jucundiſſimo permulſit ? Quidpiámne in aquis eſt moliendum ? cienda venit, aut ſedanda tempeſtas? quid opus Neptuno ? eſt *Angelus aquarum*, iſtius ſcilicet elementi præſes à Deo conſtitutus, qui te fabula egere non patiatur.

Intendit carbaſa ventus ;
Quem Venetis pugnans Genius, maris arbiter Ales
Impulit haud vani commiſſâ lege tridentis.

Tolle igitur Deorum inanium actiones : actiones, inquam, non nomina. Martem enim pro bello, Vulcanum pro igni, Neptunum pro mari uſurpare nihil vetat. Hujuſcemodi quippe nomina, *rerum vocabula ſunt, non Deorum* ; ut bellè Minucius Felix : quæ commodiùs alio loco ediſſeram. At illa in hoc genere præſcriptio moderatioque ſervetur ; ne Præſidi aquarum Angelo Neptuni nomen inſcribatur ; ne Spiritus flammis imperans, earumque vim aut ſuſpendens prohibenſque à caſtis & ſanctis corporibus, aut acuens atque in ſceleratos intorquens, Vulcanus appelletur. Dicatur ſanè MARIA Bellipotens Virgo, *cujus domino Victoria nutu pendeat* ; Bellona, Palláſve neutiquam vocetur. Nam ita perſonam exprimis è fabula ; religionem in ſuperſtitionem transformas. abhorret animus, aures ipſæ refugiunt ab illa ſa-

crilegii ſpecie. & uſûs videlicet habenda ſani probatique ratio.

Nomina tamen aliqua ſunt veluti in medio expoſita, Chriſtianis Ethnicisque communia, quanquam diverſam in partem accepta: ut Genii, ut Gratiæ, ac ſimilia. Molliuntur quoque appoſito: velut Muſæ, quæ pro Artibus Poëticis ſumuntur & cantibus; ſi Chriſtiades cognominentur, jam trajiciantur ad Superas Mentes; aut alterius inſtituti perſonæ intelligantur: cujuſmodi ſæpe fingi docuimus.

Atque hîc, ne quis ad capeſſendam in poëſi cauſam pietatis ſegnior efficiatur; quoniam piget,

Quæ juvenes didicêre, ſenes perdenda fateri;

non omnino fruſtra conſumptam in diſcendis fabulis operam diſcat, atque iis locum eſſe in ſacris etiam, quodam cum temperamento. Similitudinem in pia materia adhibere licet è fabula, ſic tanquam è fabula; hoc eſt, prout rem fictam ab antiquis. In hunc modum de parta divinitus Ioſaphato regi victoria, converſis in mutuam cædem hoſtibus, non ineptè dixeris.

Quales Terrigenas Graii cecinere poëtæ
Cognatis cecidiſſe armis per mutua fratres
Vulnera.

Non omnia quæ ſcripſere de Superis veteres, impietatis veneno infecta ſunt: multa præclarè divino de Numine generatim, ipſa Natura duce, verſibus illigarunt. Et contrà, quàm Chriſtianus nonnemo fecit (quod vel auditu tetrum ac deteſtandum ſit) ut pudicè à Marone ſcripta ad ſpurcos infameſque ſenſus detorqueret; ea ipſa, quæ corruptè ſuperſtitioſéque ab ethnicis prolata ſunt poëtis, in pias Chriſtianaſque ſententias converti poſſe, variis exemplis ſub calcem hujus operis commonſtrabo. nec *centonibus* agam; qui ut ver-

ſus diſtorquent, ita placere vix poſſunt : ſed levi quadam iuflexione & imitatione plauſibili, affectus aliaque multa ad myſteriorum noſtrorum ſanctitatem conferre non ſine utilitate & voluptate inſtituam. jámque , poſt inſignes viros non paucos , quorum in poëticis pia deſudavit induſtria, perfecitque ne quid profanis ſcriptoribus invidere haberemus; nonnihil fortaſſe opuſculis meis profecerim ad Chriſtianæ Poëſeos viam purgandam & explicandam. Certè opportuna non deſunt ad ſacras res pangendas ſubſidia iis, qui oculos animoſque ad plurima bene ſapienterque ſentientium monumenta adjicere voluerint. *Res verò bonas*, inquit Tullius, *verbis electis graviter ornatéque dictas quis non legat?*

Quare, ut hunc tandem librum de Materia Formaque Poëmatis abſolvam, magnopere autor fuerim omnibus Poëtices amatoribus, ut collectum ex profanorum vatum lectione ſpiritum & nitorem dictionis ad ſacra feliciter applicent. Sic demum Poëſis, illius æmula caſtiſſimæ Heroïnæ, quæ Holophernis arma & *conopeum ex purpura & auro & lapidibus pretioſis intextum obtulit*; pretioſa quidem, at ſæpius in fragilis falſæque gloriolæ ambitu fœdiſque voluptatibus contrita, eruditionis artiſque inſtrumenta ad immortalem unius Dei Opt. Max. gloriam piarumque mentium delicias conſecrabit.

DE POEMATE LIBER II.

DISPOSITIO POEMATIS cujus partes aſſignantur.

INVENTIONIS Poëticæ tractationem excipit proximè Diſpoſitionis conſideratio, ut primaria univerſaque forma juſtas in partes fundatur & explicetur. Ac duo quidem ſunt membra poëmatis præcipua, Proœmium & Narratio; quibus accedit nonnunquam tertia pars, Epilogus. pleraque verò poëmatia certis non diſtinguntur partibus, ſed uno quaſi tractu fluunt, ſive gaudeant fictione, ſive ea careant. ita narrationes deſcriptiones, adhortationes, laudationes ferè ſe habent, in heroïco etiam genere, de quo potiſſimùm agere inſtitui. Nam principem inter carmina locum obtinet Epos: quod generatim verbum cùm ſignificet, ab illa notione latiſſima ſpeciatim delatum

contractumque ad carmen Heroïcum eſt. Hoc igitur diſputationi meæ caput eſt propoſitum : quæ tamen ſum præcepta traditurus, in aliis carminibus valebunt ; & ſanè ex omni carminum ordine petentur communis artis exempla & documenta.

Veterum per-ſanè-rara extant monumenta compendiarii poëmatis, quale elaboramus, ſuis expleti partibus, & quaſi expreſſæ in arcto maximorum operum imaginis. Quippe (Græcos ut prætermittam, quorum poëmatia Idylliis & Hymnis continentur) neque aliud Catulli ad has regulas, non planè exactum, ſed aliquatenus directum carmen videri poteſt, quàm illud de nuptiis Pelei & Thetidis : neque Tibulli encomium in Meſſalam, neque Lucani in Piſonem ; nec fermè Statii Silvæ, nec Panegyrica poëſis Claudiani, in hunc modum conformantur. Quanquam id ego non vehementiùs requiram, quod eſt dignitatis potiùs quàm neceſſitatis, in minutis poëmatis: atque ubi talem ordinem & induſtriam opuſcula referunt, laudo; ubi liberiùs ac ſimpliciùs funduntur, non vitupero. Variæ ſunt formæ, quibus ſua cuique laus eſt debita, neque in his commentationibus defutura & ſæpe magis arridet ſcriptiunculæ forma liberior, & artem vulgarem arte quadam propria deſerentis ac ſuperantis.

Verùm ut ad publicas Poëticæ ſolemneſque leges me referam ; vix quidquam iſtiuſmodi coagmentatione artificioſâ perfectius videtur elegia Propertiana libri quarti ſextâ in Actiacam victoriam, cujus victoriæ monumentum erat à Cæſare templum Apollini conditum. Hìc prooemium à gratulatione fauſtaque precatione ductum ; generale quidem, ſed brevi coercetur propoſitione & invocatione.

Sacra facit vates; ſint ora faventia ſacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.

Muſa Palatini referamus Apollinis ædem:
Res eſt, Calliope, digna favore tuo.
Cæſaris in nomen ducuntur carmina: Cæſar
Dum canitur, quæſo, Juppiter ipſe vaces.

Sequitur narratio, eáque non ſimplex & quaſi hiſtorica, ſed adhibitâ fictione & oratione interpoſitâ Phœbi.

Eſt Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,
Quà ſinus Ioniæ murmura condit aquæ.

. . . .

Huc mundi coïere manus: ſtetit æquore moles
Pinea, nec remis æqua favebat avis.
Altera claſſis erat Teucro damnata Quirino,
Pilaque fœmineâ turpiter apta manu.
Hinc Auguſta ratis plenis Jovis omine velis,
Signaque jam patriæ vincere docta ſuæ.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
Armorum & radiis picta tremebat aqua:
Cum Phœbus linquens ſtantem ſe vindice Delon
(Nam tulit iratos mobilis una Notos)
Aſtitit Auguſti puppem ſuper; & nova flamma
Luxit in obliquam ter ſinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla ſolutos,
Aut teſtudineæ carmen inerme lyræ.
Sed quali aſpexit Pelopeium Agamemnona vultu

. . . .

Mox ait. ô longa mundi ſervator ab Albâ,
Auguſte, Hectoreis cognite major avis;
Vince mari; jam terra tua eſt: tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.

. . . .

Tempus adeſt; committe rates: ego temporis autor
Ducam laurigerâ Julia roſtra manu.

Dixerat, & pharetræ pondus conſumit in arcus.
Proxima poſt arcus Cæſaris haſta fuit.
Vincit Roma fide Phœbi: dat fœmina pœnas;
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Cæſar ab aſtro;
Sum Deus, & noſtri ſanguinis iſta fides.
Proſequitur cantu Triton, omneſque marinæ
Plauſerunt circa libera ſigna Deæ.
Illa petit Nilum cymbâ malè nixa fugaci,
Hoc unum, juſſo non moritura die.
Actius hinc traxit Phœbus monimenta, quòd ejus
Vna decem vicit miſſa ſagitta rates.

Neque deeſt epilogus, qui procemio reſpondeat, perinde vagâ exultans lætitiâ, & qui mores hominis arguat, in vinum deſinens: unde exorſus Flaccus eſt Oden ejuſdem argumenti.

Bella ſatis cecini; citharam jam poſcit Apollo
Victor, & adplacidos exuit arma choros &c.

Vtroque & Horatio & Propertio cùm pleniùs, tum magnificentius planéque Epico ſpiritu Maro prælium illud navale in Æneæ clypeo deſcripſit carminibus, quæ Propertius ipſe in elogio Virgilii primo canit loco: & jure quidem ac meritò, cùm haud facilè quidquam in tota poëſi Virgiliana ſpecioſius, excellentiuſque inveniatur. Sed ut ea deſcriptio inſtar emblematis obtinet, ad ornamentum inſerta; ſic neque proœmium habet, & quæ inducuntur perſonæ, mutæ ſunt. Nos verò, ſimul ut tironibus Maronis imitandi viam oſtendamus, & ſegmenti ad juſti poëmatis formam extendendi atque amplificandi rationem; ex ipſo Virgilio leviter inflexis quibuſdam verſibus & propoſitionem & invocationem aptemus; re tota è clypeo tranſlata, atque ex membro, corpore modico effecto.

Arma

Arma ducemque cano, Leucatæ victor in undis
Qui Pharias latè claſſes & barbara fudit
Agmina, terrarumque excitos finibus hoſtes,
Antonî obnixus furiis, opibuſque ſuperbis.
Omnia, dum Romæ ancipitem ſubjungeret orbem;
Virtute exuperans, felicis præmia belli
Et partos retulit Capitolia ad alta triumphos.
Muſa, mihi pugnam memora; quo robore fretus,
Quo Superûm auxilio gaudens, tot adire pericla
Auſus amore pio patriæ, tot vincere gentes
Evaluit. cui tanta viro conceſſa poteſtas?

Iam, quando velut jacta eſt alea, tentatum ſemel opus, eo quo cœpi modo, pertexam: ut Actiaci conflictûs narratio ac deſcriptio, quæ rebus aliis Romanorum intexta, conſequenter incipit ab hoc verſu; *Hæc inter tumidi latè maris ibat imago, &c.* abſolutè, nec tanquam ſculpta referatur, ſed quaſi res maximè geri videatur; additâ quoque Apollinis oratiunculâ, ne quid ad formam legitimi deſit poëmatis.

Quà montis juga Leucadii nimboſa minantur,
Et formidatas attollunt navibus arces;
Biſgeminæ claſſes, Romæ civilia bella,
Conſtiterant: ferroque duces auroque coruſci
Litora complerant ſignis, fluctuſque ſecabant:
Hinc Auguſtus agens Italos in prælia Cæſar
Cum patribus populoque, Penatibus & magnis Diis,
Stans celſa in puppi; geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice ſidus.
Parte alia ventis & diis Agrippa ſecundis
Arduus agmen agens; cui, belli inſigne ſuperbum,
Tempora navali fulgent roſtrata coronâ.
Hinc ope barbaricâ, variiſque Antonius armis,
Victor ab Auroræ populis & littore Rubro,

Ægyptum, vireſque Orientis, & ultima ſecum
Bactra vehit ſequiturque, nefas, Ægyptia conjux.
Unà omnes ruere, ac totum ſpumare reductis
Convulſum remis, roſtriſque tridentibus æquor.
Alta petunt: pelago credas innare revulſas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.
Tantâ mole viri turritis puppibus inſtant.
Stuppea flamma manu, teliſque volatile ferrum
Spargitur: arvâ novâ Neptunia cæde rubeſcunt.
Tum verò & gemitus morientum, & gurgite in alto
Armaque corporaque, & permiſtis carbaſa tonſis,
Et trunci fluitant artus, laceræque carinæ,
Semiuſtæque trabes, Eoáque gaza per undas.
Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro:
Necdum etiam geminos à tergo reſpicit angues.
Omnigenumque Deûm monſtra, & latrator Anubis
Contra Neptunum & Venerem, contraq; Minervam
Tela tenent. ſævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro, triſteſque ex æthere Diræ;
Et ſciſſâ gaudens vadit Diſcordia pallâ,
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.
Talia ſublimis rerum diſcrimina Phœbus
Montis ab Ambracii templo proſpexit, ut anceps
Fluctuat adverſas inter victoria claſſes.
Auguſtum ſimul Arcitenens hortatibus implet,
Conſcia tranſmittens acres in pectora ſenſus.
Macte animis, vindex patriæ: ſic itur ad orbis
Imperium. mea ſacra colis; majoraque, victor
Auſpice me, condes hoc ipſo in littore templa:
Scilicet & præſens in vota vocabere numen.
Iure tibi immenſus fatorum volvitur ordo.
Civica nunc, externa manu dehinc bella refringes:
Secula mutato ſplendeſcent aurea ferro.
Sic ait, arma movens, arcumque intendit Apollo
Deſuper. omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.

Prima inter cædes, jam pallida morte futurâ,
Fax belli, Regina fugit; ventiſque vocatis
Incita, purpureo navis tumet aurea velo.
Illa viris ſignum trepidi dare viſa receſſus,
Et Peluſiacam longo rapit agmine claſſem.
Ipſe etiam abrupto Ductor certaminis æſtu
Avolat, infelix, & cæco percitus œſtro.
Præcipiti Nilum curſu petière fugaces,
Attonitum, & mœſto languentem corpore Nilum,
Pandentemque ſinus, & totâ veſte vocantem
Cæruleum in gremium latebroſaque flumina victos.
At Cæſar duplici iuvectus Romana triumpho
Mœnia, diis Italis votum immortale ſacrabat
Maxima tercentum totam delubra per urbem.
Lætitiâ, ludiſque viæ plauſuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ;
Ante aras cæſi terram ſtravêre juvenci.
Ipſe ſedens niveo candentis limine Phœbi
Dona recognoſcit populorum, aptatque ſuperbis
Poſtibus. incedunt victæ longo ordine gentes,
Quàm variæ linguis, habitu tam veſtis & armis.
Hic, quos Tarpeiam ad ſedem curru arduus hoſtes,
Et Nomadum genus, & diſcinctos egerit Afros;
Hic Lelegas, Caraſque, ſagittiferoſque Gelonos
Aſpicias ſubvecta novis Pharos ignibus ardet;
Et ſeptemgemino captivus flumine Nilus,
Depreſſoque jugum collo indignatus, ovantem
Proſequitur Tiberim, victriceſque horruit undas.
Stant Parii lapides, ſpoliiſque onerata trophæa,
Aureaque effulgent pompæ ſimulacra per urbem.
Victor & hoſtili Cæſar quas claſſe potitus
Ære graves roſtrorum eduxit ad aſtra columnas,
Actia ſuſpicient ſeri monumenta nepotes.

Factum audacius fortaſſe, quod in pugnam me immiſcuerim, *& non imitabile textum*]

Ingentis clypei ; Thetidis cui nobile munus à
Ille prior, vanâ ſtellatus imagine, cedat
Vulcani labor, & magni geſtamen Achillis.

Et quidem non centonem dedi; quod eſt uſitatum: ſed tamen Virgilii *lexes compoſitæ, teſſerulæ omnes, emblemate vermiculato.* Quod verò plura de meo addidi: & hæc à Virgilio non aliena; & abſtulit me, ingenuè dicam, æſtus quidam poëticus navalem ad victoriam. tum ipſa loci Virgiliani ſpecies, non æmulandi temeritate, verùm tacitâ propoſiti exempli dulcedine longiùs provexit, quàm initio deſtinaram. Neque hoc facto à ſuperiori meâ fabulas in profanas ſententiâ diſceſſi, cùm ibidem conceſſerim, fabulæ aliquid cani per ludum poſſe: neque abs re fuit iſtius generis documentum in illuſtri monumento poſitum exhibere. Quanquam, ut me aperiam, ornamenta illa cum antiqua ſuperſtitione conjuncta averſabar: ſed nimirum perſonæ ſerviendum erat; neque habendum religioni, dare ſpecimen operis fabuloſi, quo deos monſtrorum nomine viderem ab ipſo Marone cenſos explodi & conculcari. quod is quidem in *latratorem Anubim*, ceteroſque deos Ægyptiacos dictum jacit: at perinde *contra Neptunum & Venerem, contraque Minervam*, univerſoſque majorum gentium deos valeat. Atque hoc videlicet unum omnium maximè mihi placuit inter fabulas veriſſimè pronunciatum.

Nunc diſpoſitione Poëmatis generatim propoſita, partibuſque deſignatis, cum gemino ejuſdem argumenti diverſæque tractationis monumento, ad ſingula diſtinctè ordinatimque membra nobis eſt procedendum.

DISSERTATIO
DE PROOEMIO.

NATURA PROOEMII QUÆ SIT; quæ Neceſſitas, quis Uſus Propoſitionis & Invocationis?

PROOEMIUM dico Poëmatis exordium, ſimilitudine ſumptâ, ut Ariſtoteles docet, à citharœdis, qui legitimum ante ſonum proludunt. tametſi non eſt eadem ratio exordii, ut notat Ciceronianus Antonius: ſed connexum eſſe debet principium conſequenti orationi, ut cohærens cum omni corpore membrum eſſe videatur. quæ pariter in poëma convenit obſervatio; ut non leve quid pro arbitrio, & ad rem non pertinens, quemadmodum à citharœdis, ſed aptum conjunctumque univerſo carmini præcinatur.

Habet autem Prooemium & Propoſitionem & Invocationem, expreſſam utramque aut implicitam; quibus docilitatem, attentionem, benevolentiam lectoris auditoriſve conciliat oblatâ rei tractandæ notitiâ, & ſignificatâ per opis divinæ petitionem religione. Adjungitur quoque expectatio gratiaque operi; cùm argumenti magnitudo, & quædam egregia celebrandi viri virtus indicatur. ut in principio Æneidos propoſita moles terra marique exantlatorum laborum, ac bellico-

rum varietas caſuum, & imperii cultuſque divini conſtitutio; atque ipſius Herois canendi conſtantia, fortitudo, pietas, quæ partim inſinuantur, partim exprimuntur; plurimùm ad Æneæ Virgiliani totiuſque poëmatis commendationem faciunt. Sectatus eſt Maronem Mambrunus in ſuo Conſtantino, cujus hanc eximiam lectori ſpeciem objicit jam inde à procemio.

Chriſtiadûm proceres, ſeu vos pulcherrima pacis
Cura tenet, ſeu bella juvant; utraſque per artes
Spectandum cano Flaviaden. Bello ille ſuperbas
Edomuit gentes, & primus inania Divûm
Numina, Romanum ſancitâ pace per orbem,
Suſtulit, & Chriſto meritos indixit honores.
Multa mari paſſum & terris, multoſque per annos
Luctantem, retro contraria fata tulere.
Namque omnes, tanto ſacrarum in turbine rerum,
Relligio implicuit populos &c.

Iam de neceſſitate procemii, quod propoſitione conſtat & invocatione, quærendum venit. Nam honeſtum quidem eſſe poëmati commodumque, fateri neceſſe eſt. Et verò mutila truncaque ſine hujuſmodi capite videatur Epopœia. Debet utique à propoſitione amplum quodvis poëma proficiſci, ne vagetur animus, incertus quid agatur. Cúmque poëta grave plenumque carmen ſine cœleſti aliquo mentis inſtinctu non fundat, ut à ſummis eruditiſſimiſque viris traditum eſt; omnino illi Divinum, quo affletur, Spiritum eſſe invocandum ſtatuamus. Quid, quòd ii, quorum exercitationes humanis viribus ſtudiiſque magis contineri putantur, Oratores in cauſis gravioribus, ut Demoſthenes de Corona, Tullius pro C. Rabirio, & pro Muræna, ab opis divinæ precatione exordiendum

ſibi ſenſerunt? quid ergo Vatibus faciendum, qui inflammatione egeant animorum, & quodam impetu ſacri furoris incitentur?

Soleo ſanè illapſum velut genii Poëtici conferre cum illo in piſcinam Hieroſolymitanam deſcenſu Angeli; quo movente aqua priùs jacens, iners & invalida, ſic excitabatur, ut repentinam vim efficientiamque conciperet mirificam. Quocirca non ex more tantùm & arte, verùm ſeriò ſedulóque id poëtæ cuivis præſtandum edixerim, ut accidat ſupplex Deo; cui verè atque ex animo dicat; *Te ſine nil altum mens inchoat.* Illius afflatu planè indigere ſe intelligat; eoque peculiari ceſſante præſidio, mutum ſe ac ſtupidum fore; aut ita abjectum & ineptum, nihil ut reliquum ſit, quàm *ſtridenti miſerum ſtipulâ diſperdere carmen.*

Atque hic ſcilicet replicetur, quod antea diſputavi de cultu poëtico falſorum numinum abrogando. *Nihil autor Apollo ſubvenit.* Adhúcne ex uſu profano veterum, qui commentitios pariter venerabantur in templis atque in carminibus precabantur Deos, eoſdem homo Chriſtianus appellabit in poëſi ſuppliciter, quos ſi in alia quapiam difficultate invocaret, capitalis nefariuſque haberetur? Quid autem alienius, quàm inſtituto de Chriſtianis rebus poëmate ficta ethnicorum numina compellare? Ac quoniam eò jam nomine reus à nobis citatus eſt Sannazarius; quàm ſecum ipſe pugnat! quàm disjuncta nectit atque contraria! in poëmate de Partu Virginis, propoſitionem cum invocatione copulans, ſic incipit.

Virginei partus, magnoque æqueva parenti
Progenies, ſuperas cæli quæ miſſa per auras
Antiquam generis labem mortalibus ægris
Abluit, obſtructique viam patefecit Olympi,

Sit mihi, Cœlicolæ, primus labor: hoc mihi primum
Surgat opus. Vos auditas ab origine cauſas,
Et tanti ſeriem, ſi fas, evolvite facti.

Rectè hactenus: Cœlicolas invocat. pergit, & prolabitur.

Nec minùs, ô Muſæ, vatum decus, hic ego veſtros
Optarim fontes, veſtras nemora ardua rupes;
Quandoquidem genus è cœlo deducitis; & vos
Virginitas, ſanctæque juvat reverentia famæ.
Vos igitur, ſeu cura poli, ſeu Virginis huius
Tangit honos, monſtrate viam quâ nubila vincam,
Et mecum immenſi portas recludite cœli.
Magna quidem, magna, Aonides, ſed debita poſco,
Nec vobis ignota. etenim potuiſtis & antrum
Aſpicere, & choreas; nec vos orientia cœlo
Signa, nec Eoos Reges latuiſſe putandum eſt.

Muſas in auxilium advocat, alias prorſus à Cœlicolis, nemorum & rupium incolas, meraſque Parnaſſi fabuloſi ineptias, ne quid gravius eloquar. At, quod mirêre, quódque meliùs, quàm alia multa circa hunc ipſum poëtam animadvertit Scaliger; idem ejuſdem poëmatis libro ſecundò Sannazarius, oppidò immemor principii ſui, ſed Chriſtianæ veritatis memor, palinodiam, nec cogitans, ita canit.

Nunc age, Caſtaliis quæ nunquam audita ſub antris,
Muſarumve choris celebrata, aut cognita Phœbo,
Expediam. vos ſecretos per devia calles,
Cœlicolæ; vos, ſi merui, monſtrate receſſus
Intactos. ventum ad cunas & gaudia cœli,
Mirandoſque ortus &c.

Appoſitè Virginem Matrem invocarat. *Tuque adeo ſpes fida hominum, &c.* ſed abſonè poſt evo-

catâs Muſas illas, quas apud Boëtium Philoſophia contumelioſo nomine ſugillat; & quidem eo digniſſimas in aliis quibuſdam Sannazarii laſcivis carminibus. Nos (ut non modò notam, ſed medicinam quoque apponamus corrupto illi principio) Epidicticum de Bethlemio Stabulo carmen ſic auſpicati ſumus.

Dum chorus Aligerûm bipatente effuſus Olympo;
Paſtorumque manus, Regeſque Oriente vocati
Bethleo accelerant ſtabulo; cunaſque jacentes
Certatim votiſque colunt, doniſque frequentant;
Vos quoque mirandi læta ad ſpectacula partûs
Ire decet, Vates; Parnaſſi horrentia ſaxa
Exoſos, natale Dei ſuccedere in antrum.
Huic Phœbea Claros, Pataræaque regna ſileſcunt;
Fallaces tripodum preſſêre oracula Delphi:
Hunc Solyma, arcanis cœli gens conſcia ſacris,
Prodidit, ac totæ Superûm ſonuêre cohortes.
Et vos afflatâ propiùs jam Numinis aurâ
Hic canite, & viridi feſta inter carmina lauro
Spargite adoratam, Bethlea mapalia, rupem.

Hæc, ut vides, Propoſitio eſt per modum invitationis efformata, & varios quidem in uſus adducta; ſed præſertim, ut oſtenderetur, quàm longè ab Invocatione profana Chriſtiani recedere poëtæ debeant, maximè in rebus ipſis Chriſtianis: neque committendum, ut Domini præconia ab iis accerſantur, quorum ipſe ora clauſerit; & quibus miſerorum hominum corpora inſidentibus, cùm præſentis in laudes victoris erumperent, ſilentium imperarit; & quorum falſa ac ſacrilega per orbem terrarum oracula obmuteſcere coëgerit. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, nedum ab inventore mendacii, cunctæque impietatis artifice. Fa-

buloſa denique (ut hic ad ſuperiores diſſertationes quaſi cumulus accedat) ferè attingenda non ſunt, niſi ut damnentur : quod hîc à me factum proponitur. Mox Invocationis propriæ ac multiplicis exempla ſubjungam, ubi præmonuero, Deum variè pro varia materie implorandum. In omni quidem argumento poëticè tractando, ut *Pater luminum* invocari poteſt, artium ſcientiarumque largitor : ſed ad ipſarum tractationem doctrinarum, velut artis poëticæ, aſtrologiæ, & ſimilium, ſub hac tanquam formâ ſpectari debet Solis Igniſve myſtici; Spiritûs, qui verè *ſedibus æthriis venit*; Sapientiæ Mentiſque ſacræ, mentem humanam animantis & agitantis. Quippe ut cecini l. Parthenicon 11.

Spiritus, ingeniique dator, Superûmque Magiſter,
Vaticini afflavit cœleſtem Numinis auram.
Haud operoſo inſta ſupplex, Mariane, favori.
Phœbeam veteres tenebroſo à principe lucem
Expetiere ſibi, cœcumque hauſere furorem.
Verus at ille Parens ſacratæ lucis & artis,
Occultos ſparget radios. tu pectore aperto
Excipe (néve atro vitiorum exclude receſſu:)
Ceu liquidi maris unda micans, ceu candida nubes,
Aut ſpeculi ſolem terſiſſima lamina reddit.
Pollutæ hoſpitium mentis, ſedemque profani
Corporis horreſcit, longéque averſa refugit,
Munere quæ optato caſtos Sapientia mores
Exornat, doctique addit ſua præmia ludo.

Vbi de natura ſcribitur, de cœlo, de elementis, aliiſve mundi partibus; rerum iſtarum Procreator, Conſervator, Gubernator ad operis ſui cognitionem uſuramque communicandam eſt obteſtandus. Bellica meditaris ? Imperator exercituum, autor fortitudinis, auſpex victoriæ obſecretur. quemad-

modum in Ioſaphato illo Iudææ Rege, per mutuam hoſtium internecionem victore, cujus mentionem intuli ſub finem libri I.

Lymphatis actos in mutua funera dextris
Ammonem Moambumque cano, deletaque Idumes
Agmina; & immoto, queis militat arduus æther,
Victores ferro Iſacidas, ſpoliiſque potitos.
Armipotens, cujus magno ſub Rege ſecuta
Numinis auſpicium, &c.

Chriſti miracula ad poëſin vocas? autorem ipſum videlicet operum Divinorum ad ſuam cauſam patronum adhibe. Prælucet exemplo Vavaſſor, qui elegantiſſima Theurgica, planéque mirifica, poſt brevem, ſed abſolutam de piis argumentis præfationem, ſic aptiſſima propoſitione & invocatione prætexuit.

Major ut humanis divinas ſenſerit artes
Morborum vis dura, malique ex funere leti
In ſua felices remearint corpora vitæ,
Utque orci domino ac populis infracta poteſtas,
Utque novas leges mutatus ſenſerit orbis
Natura mirante, canam. Mihi carminis auctor
Hujus eris, tantarum auctor certiſſime rerum.
Tu vatem duc, Chriſte, tuum per quæ ire ſolebas
Nobilitans factis loca grandibus; heu loca dudum
Regnata, & ſævo male deſola a tyranno!
Sic armis repetat ſacram mea Gallia Bethlen,
Sic natale ſolum tibi vindicet, ac pia fata
Impleat, & meritis vatum preſagia magnis.

Supplicatione conſimili paribuſque votis Chriſtum adiit Mambrunus ab eo, quem jam retuli, ingreſſu. Nec profectò fuerat verendum, ne qui

poëma Idololatriam Debellatam, ſive Conſtantinum inſcripſerat, Diis idem continuò ſupplicaret, ut vel Chimæræ ſibi opitularentur, vel peſtes Tartareæ allaborarent earum cladem carmine perſequenti. Sic ergo invocationem adornat.

Grajugenæ quondam vates, gens impia, falſos
Induxere deos primi; dulcique veneno,
Et blando in totas graſſati carmine gentes,
Illuſum vanis implerunt ritibus orbem.
Sit mihi fas (neque enim ſancto ſit cura poëtæ
Jam potior) te, Chriſte, Deûm formidine turpi
Solventem terras, Stygioſque ſub alta latrones
Tartara pellentem, populos celebrare per omnes.
Ergo ades, atque tuos mecum percurre labores.
Gens tua continuò dediſcet mollia vatum
Carmina, & incipiet procedere ſanctior ætas.
Chriſtiadas tu namque potes, quos triſtis Erynnis
Alternas agit in cædes, & ſanguine fratrum
Commaculat; ſanctum veræ pietatis amorem,
Et famæ melioris iter per noſtra docere
Carmina, virtutemque æterno accendere cantu.

Si quid ad Virginis cultum pertinens canere inſtituis, quam tu Muſam, quam ores Minervam? Cave tui carminis præſidem optes aliam ab ea, quæ congruenter perſonæ quam gerit Sapientiæ, inter elogia non magnificentiora quàm veriora hoc uſurpat Proverb. VIII. *Eruditis interſum cogitationibus.* quod ſanctiſſimorum doctiſſimorumque virorum & autoritas graviſſima & feliciſſima experientia comprobavit.

Summo illa Tonanti
Æquævum, omnipotens, & inenarrabile Verbum
Vindicat, æterno generatum Lumine Lumen.

Ac poſteaquàm eos, quos Chriſtus

Præcones

Præcones cœli, & legis dedit eſſe magiſtros,
Inſtituit Virgo; tacitiſque obducta latebris
Primæva æterni pandit myſteria Nati,
Quæque oculis hauſit, quæque auribus: ipſaque rerum
Pars ingens, altâ quæ condita mente fovebat:
Nunc quoque ſupremas aperit mortalibus artes.
Sæpe etiam humani deſcendit adusque minores
Ingenii curas; Naturæ arcana reſignat,
Sollicitoſque viris mollit pueriſque labores,
Per varios & cæca regit veſtigia flexus.
Quanquam crebra ſui diſpenſat luminis uſum,
Paulatimque acuit ſublapſo obtuſa favore
Pectora. fraude piâ capti, invitaque minervâ
Provecti ſtudiis, quæ maxima turba, nec ipſi
Senſêre, aut dextram ſatis agnovêre juvantem.
Nonnunquam & ſubito colluſtrat fulgure mentem
Indocilem, ac penitùs diſcuſſâ nube ſerenat.
Atque aliquis, plumbo ſenſum torpenſque rigenſque,
Ecce repentinis ſocios progreſſibus anteit,
Jamque novas mirantis opes fluit aurea vena.

Horum pleraque primo ex libro Parthenicon: quæ Parthenica ſcilicet illius commendata ſunt patrocinio, cujus laudi ſerviunt. neque opem negavit, quæ materiem præbuit. Subjicienda mihi videntur hoc loco primordia ipſius operis tria, ſive ad religionis incitamentum, ſive ad experimentum diſciplinæ. In ipſo tripertiti poëmatis aditu proponuntur ſumma rerum capita deinceps tractandarum; adduntúrque genera bonorum omnia, quibus vel Auguſtiſſimæ Virginis eluceat gloria, vel hominum alliciatur pietas & veneratio. Tum, his poëſeos totius Parthenicæ faſtigiis deſignatis, venitur ad propria librorum argumenta ſingulorum, ſingulis commatis ordine comprehenſa. Mox publici celeberrimique cultûs imago

quædam, inſtar Virgilianæ præcentionis l. III. Georgicon, effingitur, ſed paucioribus multò verſibus: & invocatio ſubjungitur, quæ nihil quidem ab invocatione primi Georg. traxerit, ſed eam tamen amplitudine ac varietate expreſſerit. Non enim Divam tantùm orat Patronam; ſed primarios quoque Cælites, peculiari nexu obligatos immortali Reginæ; ut ex ipſis carminibus apparebit.

Virginis imperium Matris, cœleſtia jura,
Factaque mira canam; quos illi Natus honores,
Quàm largas cumularit opes; ſublimia corda
Queis trahat illecebris Mariani gratia cultûs.
Hæc alacrem intendens rerum ad faſtigia curſum;
Alternis Dominamque inter gratoſque Clientes
Splendida muneribus commercia, dein ſacra ritu
Fœdera ſollenni, atque illuſtres ordine faſtos
Exequar, Aoniiſque intexam lilia lauris.
Fervere jam vario fulgentes agmine pompas,
Pontifices dare tura focis, procumbere Reges,
Ac votis Dominam ſceptriſque ambire dicatis
Aſpicio, totaſque aris ſe advolvere gentes.
Ergo ad te, mea lux, mea cura & gloria, Virgo,
Nunc avidus redeo, & ſupplex altaria prenſo
Poſt varios belliquę obitos paciſque labores,
Humana effuſo toties in ludicra cantu.
Nec tu, Diva, tamen numeris excluſa profanis:
Belli eadem paciſque potens, in carmina ſemper
Veniſti; MARIÆ palmaſque oleaſque ſacravi:
Talibus inſtantem nec tu averſata camœnam.
Si quis honos muſæ; ſi quo dignata favore,
Caſtrenſeſque inter ſonitus audita tubarum,
Doctorumque aulas procerum, Regumque triumphos;
Muneris omne tui eſt. agnoſco indebita cœptis
Præmia, rite memor; necdum perfecta viciſſim
Accelero æterni monumenta & pignora cultûs,

Hic propior vati adſpirans, nova ſuggere dona,
Quæ referat; votique reus, ſibi numen amicum
Altiùs, ac toto ingeminet reſonabilis axe.
Tum vos, ætherii Proceres, quos gloria tangit
Chriſtiparæ; tuque ante alios, Joſephe, benigno
Virginis æternæ conſors huc reſpice vultu;
Cùmque Annâ Joachime parens, Natique beatas
In partes moriente Deo ſublecte Joannes;
Tuque adeo, tu, Cœlituum fortiſſime Princeps,
Nazariam Orator paciſque interpres ad arcem.
Unà omnes, Divæ quos aut ſpectabilis alto
Sanguine Natura, aut meritis quos Gratia junxit;
Præcones pariter, vigileſque ad juſſa Miniſtri
Communis Dominæ, placitam huc advertite curam.
Virgineæ autorem laudis, cultuſque magiſtrum
Vos mihi, vos, Sponſumq; Deum, Natumq; Patremq;
Auguſtæ, atque ipſam precibus placate ſequeſtris.

Libri ſecundi proœmium ex parte formam propoſitionis refert primi Georgicon. ſed Virgiliana præfatio numerum diſtribuit librorum; noſtra qualitatem ſpectat materiæ huic libro ſubjectæ: tum ea ſignificat, ad quæ omnis rerum ſecutura tractatio revocetur.

Qui teneras mentes cultus, maturaque firmet
Pectora; quo deceat Proceres cum plebe teneri
Servitio; cœtuſque ſacros, auguſtaque clari
Jura Sodalitii geminum diffuſa per orbem,
Virtutum genus omne, pioſque ex ordine ritus
Proſequar, & magnæ caros Genitricis honores.
Nec fugit incautum, quàm duros vincere tractus
Aggrediar: MARIÆ ſed vatem dulcibus urget
Incenſum ſtimulis amor, & ſentire ſalebras
Non patitur molli ſubvectum protinus alâ.
Sic tibi ſacrato, ſic, ô Regina, labori

Blanda fave. ſuſpenſa tuo ſpes ardua nutu,
Carminis ætherii Princeps, quam candidus Agni
Ille chorus ſequitur præeuntem haud vocibus æquis;
Virgineæ quanquam eximium pæana cohortis,
Inconceſſum aliis, totus miratur Olympus.
Parthenii ſuſceptum adytis, per ſingula, Virgo,
Dirige, ſidereo prælucens igne, clientem.
Te duce jam diſcent rigidi manſueſcere vepres,
Floribus & nitidis pingues accreſcere fetus.
Huc modò, Parthenici, lætos appellite ſenſus,
Huc animos; Dominæque novas aptate coronas,
Divite nec vacuos fructu contexite flores.

Tertius liber, qui Faſtos Parthenios, ſeu Deiparæ Virginis Myſteria perſequitur, ex altero Georgicon tanquam lineam duxit, ut primùm circumſcriberet ea quæ ſuperioribus eſſent libris mandata; deinde novo propoſitionem modo conformaret.

Dilectam auguſtæ ſedem regnumque Parentis
Ingreſſus, pictoſque loci miratus honores;
Tot veteris monumenta ævi, pompaſque recentes
Muneraque, & ſacro devinctos fœdere cœtus
Perſonui, ſtudia & mores, & ſplendida facta.
Nunc tua, quæ pulchros acuant virtutis amores;
Tergeminum, Virgo, claudent ſollennia carmen.
Mox aliis operata ſonis tibi, Diva, laborem
Parthenicum explebit feſto lyra concita plectro.
Hic apis in morem, florum quæ geſtit amœnas
Per ſegetes, condenſa levi myſteria obibo
Laude ſupervolitans, vario jam carmine paſſim
Libata, & varias operum relegenda per oras.
O tantùm laudique tuæ, laudiſque miniſtro
Perge favens notam, Regina, affundere lucem;
Seminaque ætheriæ ſpargentem vivida flammæ.

Da, Genitrix: non vana rogo. partem, Alma, laboris
Reſpice ſupremam, & placitos ori inſere cantus.

In hunc modum rite invocetur Deipara, non ſolùm ad propria myſteria illuſtranda, ſed quavis honeſtâ in materia, cùm ejus regia poteſtas curaque materna in rerum univerſitatem pertineat. Poſt Deiparam nulla fuerit opportunior invocatio, certius nullum ac præſentius auxilium, quàm Angelorum. Hos (ut cecinit Petavius panegyrico in Summum Pontificem Vrbanum VIII.)

priſcos imitata piorum
Simplicitas, ſed voce tenus, de nomine dixit
Muſarum .... novem quod in agmina ſparſi
Aligeri Proceres cæleſtia juſſà capeſſunt,
Ingeniiſque favent, veniuntque in vota vocati.

Sed ii maximè, qui Cuſtodes vocantur, operibuſque noſtris proximè interſunt aſſidui individuique comites ac Tutelares: quos ego in poëmate de Ioſaphato Indiæ principe ſic appellavi.

Numinis ardentes, cælo gens orta, Miniſtri,
Queis vigilem humanæ curam exercere ſalutis
Tutelamque datum eſt, arcano Tartara bello
Frangere, ſidereiſque animas inducere regnis.

Et hîc quidem ſingulari de cauſa advocantur, quòd caſtiſſimi juvenis animum, quò blandiùs, eò periculoſiùs oppugnatum, idoneis ad vincendos conatus illos nefarios viſis armaſſent. Inde Ioannes Damaſcenus compellatur, & hujuſce, quod vulgo putatur, hiſtoriæ ſcriptor, & ipſe vates inſignis. Sic Divi, ad res perſonáſve quæ tractantur, quodammodo affecti; tum præſertim ad ſuas quiſque laudes commodè eliciantur. Ita magni Baptiſtæ natalitia celebraturus, ipſum Domini

Præcurſorem ad ſpectaculum excivi ; ad auſpicium vocavi : necnon aliis Cœlitibus, quæ aggrediebar, encomia ſua dicavi, ſimul expetens, ut honoribus ipſi ſuis adeſſent, non ſpectatores modò & auſcultatores, verùm adjutores quoque, ac veluti præcentores.

Occurrit quidem ipſa poëtis divina benignitas, cujus eximio aliquo dono poëtæ naſci dicuntur : nec precibus evocata, ſæpe indignos etiam flagitioſoſque homines, tum ethnicos, tum pſeudochriſtianos, mentis inditæ viribus excitavit. Nec verò ſtupendum, poëſeos auram improbis aliquando impertitam, cùm etiam propheticum impiis ſpiritum noverimus aliquando infuſum. Atque hæc gratuita munera nimirum altiſſimas cauſas habent, quas aut mortali inveſtigare nefas eſt, aut grandioris eſſet operis explicare. Vera ſanè illa perfectaque Sapientia non influit animo perverſo & inquinato : cetera Deo lumina tanti non ſunt, ut ab iis hoſtes ſuos excludat. Neque ob crebras & obvias Dei largitiones omittenda piæ petitionis eſt conſuetudo, ab ipſis vatibus profanis ſancita ex veteri atque adeo naturali cognitione opis cujuſdam præcipuæ ad conficiendum carmen requiſitæ. Conſervatur oratione, jam conceſſa, gratique animi commendatione uberiùs affluit gratia : & tacitis arcaniſque incrementis, per honeſtos pioſque uſus intima vis, ac facultas vel nativa poëſeos exaggeratur.

Hoc ipſum erat ſapientiæ (inquit Sapiens) *ſcire, cujus eſſet hoc donum.* Felix, qui ſive oblatam ultro, ſive impetratam, artem cœleſtem pro dignitate tractat : *& hoc habet argumentum divinitatis ſuæ*, ut ait Seneca, *quod illum divina delectant.* Miſer ac perditus, qui telum acerrimum in eum, à quo accepit, dum effrænato motu ac furioſo

convertit, in ſuo ipſe jugulo defigit! quantò feliciùs cum eo ageretur, ſi quo tam impudenter inſanéque abutitur, dono ſpoliaretur! Inexpiabile porrò flagitium extiterit, Deum in ſceleris conſortium advocare; divinum ſuæ nequitiæ patrocinium inſcribere; libidinem, obtrectationem, furorem conſecrare. Itaque ſupremi Numinis Divorumque omnium ſingulari præſidio ſe ipſi poëtæ degeneres, obſcœni, maledici, nugatores etiam ſcurræque fraudant; ac vero, quantumvis hoc ſibi arrogent, commercio cœli intercludunt, & invocatione ſacrilegium concipiant; qui Cœlitum aut majeſtatem irridere videantur, ad ſcurrilia accerſendo; aut ſanctitatem omnino violent, ad graviora delicta proprium quendam favorem inſtinctumque divinum expoſcendo. Superos ad condendum poëma quiſquis invocat, jam hoc ſolenni inſtituto rectam mentem piamque profitetur; honeſtum ſibi & argumentum & finem indicat propoſitum.

Alterum eſt invocationis humanæ genus, quâ viros aliqua laude illuſtres, ac potiſſimum principes colimus. Nuncupantur, offeruntur patronis opera, præſertim de rebus ipſorum egregiè geſtis compoſita: & quodam pacto ad opem ferendam vocantur, quam in externos quidem uſus erogare proceres facilè poſſunt; animos etiam afflare, quibus lætiora carmina proveniant. Atenim civilis iſte probabiliſque cultus immani deteſtandaque adulatione in ſuperſtitionem excrevit: neque tantùm Diis miſcuit æquavitque, ſed & antepoſuit Cæſares. Quanquam hic intra poëtas non ſtetit impietatis furor: ad hiſtoricos pervenit; extátque in Valerii Maximi prologo ad Tiberium Cæſarem: cujuſmodi hominem? vitiorum omnium principem. *Si excellentiſſimi vates*, inquit, *à Numine aliquo principia traxerunt; mea parvitas eò*

juſtiùs ad favorem tuum decurrerit; quòd cetera divinitas opinione colligitur, tua præſenti fide paterno avitóque ſideri par videtur.

Magnificè in hac parte Maro inſaniit procemio 1. Georg. *Tuque adeo, quem mox quæ ſint habitura Deorum concilia, incertum eſt, &c.* Pari veſania & impietate Propertius, Ovidius, Horatius imperatorem illum ambière, ipſo præeunte Romano Senatu: cui, Romuli vocabulo *ſanctius & reverentius viſum eſt nomen Auguſti; ut ſcilicet jamtum dum colit terras, ipſo nomine & titulo conſecraretur*; ut Florus interpretatur. *Iurandaſq; tuum per nomen ponimus aras*, inquit Horatius. At qualis, extra adulationem, Deus iſte habitus fuerit, operæ pretium ſit ex Suetonio accipere. *Cœna quoque ejus ſecretior in fabulis fuit, in qua Deorum Dearumque habitu diſcubuiſſe convivas, & ipſum pro Apolline ornatum, non Antonii modò epiſtolæ, ſingulorum nomina amariſſimè annumerantis exprobrant, ſed & ſine autore notiſſimi verſus,*

* * * * * * * * * * * * * * *

Impia dum Phœbi Cæſar mendacia ludit,
Dum nova Divorum cœnat adulteria;
Omnia ſe à terris tunc Numina declinarunt,
Fugit & auratos Juppiter ipſe thronos.

Auxit cœnæ rumorem ſumma tunc in civitate penuria ac fames. Acclamatumque eſt poſtridie, frumentum omne Deos comediſſe; & Cæſarem planè eſſe Apollinem, ſed Tortorem: quo cognomine is Deus quadam in parte urbis colebatur. Hæc ego de Auguſto notavi eò libentiùs, quò ſupra de illo ex Propertio Virgilioque elatiùs prædicaram; ut profanam illam perditiſſimamque antiquitatis fabuloſæ aſſentationem partim explanarem, partim aliorum ex antiquis ſobriè ſentientium dicteriis configerem. Sed etiam Neronem à Lucano,

etiam Domitianum à Statio, monſtra illa ex omni flagitiorum ſcelerumque diritate concreta, poëticè conſecratos fuiſſe, & Deorum nomine invocatos! quid indignius? quid horribilius? Moderata eſt Ovidiana Faſtorum illa dedicatio, & invocatio Germanici Cæſaris, præſtantiſſimi principis, appriméque ſtudiis exercitati poëticis.

Tempora cum cauſis Latium digeſta per annum,
Lapſáque ſub terras, ortáque ſigna canam.
Excipe pacato, Cæſar Germanice, vultu
Hoc opus, & timidæ dirige navis iter.
* * * * * * * * * * * * *
Si licet, & fas eſt, vates rege vatis habenas,
Auſpice te felix totus ut annus eat.

Perfectum hujuſcemodi Procemium, quod propoſitione & invocatione continetur, majori cuilibet operi propè neceſſarium agnoſcamus, epico certè; reliquis non item, ut jam obſervavi. Ac primùm pars utraque in poëmatiis haud requiritur; deinde, ne alterutra quidem. Tibulli carmen heroi numeri propoſitionem habet ſine invocatione: *Te, Meſſala, canam; quanquam tua cognita virtus terret &c.* Horatius modò propoſitionem ſolam: *Odi profanum vulgus.. carmina non prius audita.. canto.* invocationem modò ſolam: *Deſcende cælo, & dic age tibiâ, Regina, longum, Calliope, melos*, &c. Neutram partem habet Specimen illud Petronii Arbitri, quod expenſum fuit l. I. ſic enim incipit, ut illic notavimus. *Orbem jam totum victor Romanus habebat*, &c. Nullum itidem procemium Claudiani varia præferunt; ut de bello Gildonico, de III. & IV. Conſulatu Honorii Auguſti: ſed ab ipſa re ordiuntur. *Redditus imperiis Auſter* &c. *Tertia Romulei ſumant exordia faſces* &c. *Auſpiciis iterum ſe ſe regalibus annus induit &c.*

Redeo ad uſus Propoſitionis & Invocationis,

quos quidem varios jam cum procemii vel neceſſitate vel utilitate expoſui: ſed hoc inſuper attendendum eſt, partis illius duplicis uſum eſſe, non in principio duntaxat, verùm etiam in decurſu poëmatis. Certa quidem illis, prima propriaque ſedes in proœmio conſtituitur: at locus extra ordinem datur, ubi-res-cunque ardua, inuſitata, incredibilis occurrit. Quod & oratori eſt conceſſum, ut gravioribus in argumentis, maximéque cùm partem ad aliam tranſitur, attentionem repetat & docilitatem; benevolentiam ex occaſione identidem colligat: quæ tamen jam in exordio comparavit. Nihil ſanè auditoris animum erigit æquè atque invocatio, demonſtrans tanti rem eſſe quæ afferatur, ut opus ſit divino aliquo præſidio ad eam, ut par eſt, concinendam. Eademque operâ favorem poëtæ adjungit illa demiſſi religioſique animi ſignificatio, tenuitatem agnoſcentis, & imbecillitatem profitentis ſuam, ac proinde ſuppliciter opem divinam captantis. quibus ineſt cœleſtis commercii quædam admirabilis inſinuatio.

Id adeò videmus aliquot inſignibus locis à Marone uſurpatum. *Unde nova extinctis apibus revocetur origo*; quærit Georg. libro quarto? Muſas conſulit, & percunctatur: *quis Deus hanc, Muſæ, quis nobis extudit artem? unde nova ingreſſus hominum experientia cepit*? Pluribus, ac diſtinctiùs in tertio Georg. libro medio proponit & invocat, argumenti partem alteram initurus. *Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus. . . . Hoc ſatis armentis: ſuperat pars altera curæ, Lanigeros agitare greges . . . Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore ſonandum.* Libro VI. Æneid. *pandere res alta terra & caligine merſas* opus eſt? pacem & veniam petit à Diis Manibus. *Dii, quibus imperium eſt animarum, umbræque ſilentes. . . . ſit mihi*

fas audita loqui; ſit numine veſtro pandere res &c. Lib. VII. *advena claſſem* Æneadûm *Auſoniis exercitus appulit oris?* invocationem cum propoſitione inſtaurat. *Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum.... expediam, & primæ revocabo exordia pugnæ. Tu vatem, tu, diva mone* &c. Lib. IX. ad metamorphoſin navium Trojanarum in Nymphas dicendam, iterumque ad bellicam ſtragem memorandam; X. l. ad ſeriem Hetruſcæ claſſis evolvendam preces renovat ad Muſas. Hoc autem ſingulare, quod eas media in Ecloga VIII. precatur, quas initio non invocarat. Exorſus à propoſitione; *Paſtorum muſam* &c. Cæſarem tacito nomine appellarat, ſua ſtudia oſtentans; carminaque dicarat cum hedera inter laureas ſerpente. Mox abſoluto Damonis cantu, quaſi labore exhauſtus, qui propoſuerat muſam ſe dicturum Damonis & Alpheſibœi, ad Pieridas ſe convertit, rogatque ut dicant quæ alter paſtorum reſponderit.

Tum hoc quod ſubjungo, imprimis notatu dignum circa invocationem. Bacchum in limine ſecundi libri Georg. ad ſua munera contrectanda invitavit: atque inde progreſſus varias arborum naturas universè perſtrinxit. Jam multa, nec paucis verſibus complexus, novam adhibet invocationis ſpeciem refricatâ ſimul argumenti propoſitione. agricolas quidem adhortatus ad proprios generatim diſcendos cultus, fructuſque cura molliendos, ad vites oleaſque idoneis locis conſerendas; Mecænatem in laboris partem vocat, ſuſceptæque tractationis rationem præmonſtrat & delineat. Præclaram iſtam mihi ſpectabilemque formam exprimendam duxi libro Parthenicon primo. Vniversâ librorum materie jam propoſitâ, &, quam ſuprà exſcripſi, invocatione perfunctus; Chriſtianam pietatem in Deiparam Virginem

diſſerere generatim ac breviter inſtitui; cultúmque iſtum à capite altiſſimaque origine, Dei Opt. Max. conſilio & voluntate repetii: ab ipſoque Chriſto Domino ſtatutum & multiplici documento ſancitum; à Principibus & populis, ab eruditiſſimis viris & ſanctiſſimis religioſiſſimè ſuſceptum; miraculis ubique terrarum confirmatum & illuſtratum; perenni bonorum omnium affluentiâ, puriſſimaque ſuavitate redundantem; magnificentiſſimis templis ac ſolennibus donis, & omni laudum obſequiorumque genere celebratum, quodam velut proſcenio exhibui, nec ſine peculiari locorum honorumque clariſſimorum proſpectu. Exin proprium iſtius libri argumentum poſui, munificentiam cœleſtis Reginæ, Clientiumque ſuorum perilluſtrem ſpeciem, ornatiſſimi Parthenii Iconibus depictam, ſed colore poëtico ſpiritúque colluſtratis & animatis. Iamque à primo aditu nobilem illam beatamque veneratus Marianorum cohortem, ut res Parthenias ingredientem propitii faventeſque exciperent; ad Sodales ipſos deſcendi, à quibus tanquam hoſpitii jus peterem, dum iiſdem poëticum munus offerrem.

Et vos Parthenici, lectiſſima corda, Sodales
Accipite hoſpitio ſubeuntem, & ſacra ferentem
Veſtra novo geminos cantu celebranda per orbes.

Poſt generalem verò Mariani cultûs deſcriptionem hæc ſubtexunrur, brevi ad excitandam attentionem acuendámque fiduciam admotâ cohortatione.

Cuncta ſed anguſtæ ſpatiis comprendere chartæ
Haud licitum: & celeri ſat erit ſtrinxiſſe camœnâ
Sparſa per immenſos operum veſtigia tractus.
Tot decorum capita, & variæ ſpectacula formæ,
* * * * * * * * * * * * * * *
Splendida jam rerum picto ſimulacra ſacello
Diſcite

Diſcite Parthenici, documenta ingentia, Cœtus,
Certiùs & veſtras Divæ concredite ſortes.

PROOEMII FORMÆ VARIÆ.

SOlennem Prooemii formam, uſumque propoſitionis & invocationis communem executi ſumus: hîc alias principii ſpecies, & partium iſtarum conformationes varias exquiremus, tantò propenſiùs, quantò difficiliora videri ſolent initia tironibus, quorum in gratiam hæc à nobis qualiſcunque ſuſcepta eſt opera.

Iam primùm eſt diſceptandum; ſitne à propoſitione ſemper invocatio ſejungenda: quod affirmatum ab eruditis quibuſdam Poëticæ ſcriptoribus animadverto. & Scaliger in Hypercritico docet, propoſitionem & invocationem, quas Græci conjunxiſſent, ſegregaſſe Latinos conſultiùs; idque jam in præceptum artis poëticæ vel maximè obſervandum, ac legem potius tranſiſſe: atque eo Vidam crimine accerſit, quod in ſuæ Poëticæ veſtibulo utramque confuderit. *ſit fas veſtra mihi vulgare arcana per orbem, Pierides.* At iſthæc parùm conſideratè dicta ſenſáque. Lucretium enim ut ſileam, qui primo ingreſſu Æneadûm Genitricem invocat; Statius Achilleidem ſuam nónne exorditur permiſtâ implexáque propoſitioni invocatione? *Magnanimum Æaciden.... Diva refer.* Atqui Statius hic ille eſt, Iuli Scaliger, quem tu Latinorum omnium Græcorumque Poëtarum à Virgilio principem diſertè pronuncias. Quid ipſi facies Maroni, qui ſextæ atque octavæ Eclogæ propoſitionem cùm præfigat ab invocatione diſtinctam; idem tamen quartam, unam omnium proximè ad epici carminis maieſtatem aſſurgentem, hoc modo inſtituit? *Sicelides Muſæ, paulò*

majora canamus. cui geminum eſt principium decimæ: *Extremum hunc, Arethuſa, mihi concede laborem*, &c. Quid Tibullus? elegiam pulcherrimam, libri ſecundi quintam, ſic aggreſſus eſt.

Phœbe fave: novus ingreditur tua templa ſacerdos:
Huc age cum cithara carminibuſque veni. &c.

Lyrica poſſem exempla producere Horatii, & ad Oden jam ſuprà citatam, libri tertii quartam, addere ex I. duodecimam; *Quem virum aut heroa lyrâ, vel acri tibiâ ſumes celebrare, Clio?* ex III. undecimam; *Mercuri, nam te docilis magiſtro* &c. Quin hoc affert ipſe Scaliger principium Gratii, poëtæ ab Ovidio laudati; *Dona cano Divûm, lætas venantibus artes, auſpicio, Diana, tuo.* Sed quia Propertianam elegiam de Actiaca victoria meritò extulimus; in illa ecquid cernimus invocationem propoſitionemque inter ſe implicatas? Nam propoſitio hic demum ſita eſt: *Muſa, Palatini referamus Apollinis ædem* &c. ſuperiora verò nihil ſonant aliud, quàm accingere ſe poëtam ad canendum, argumento nullo deſignato. Ex his autoritatibus exemplisque conficitur, quam legem Scaliger latam juſſamque voluit, eam nullo jure ſcriptam fuiſſe; nunquam apud veteres promulgatam, nec verò ab recentioribus ſervatam, neque à nobis omnino legem putandam.

Illud veriùs aſſeruiſſet, à Latinis Epicis dividi ſæpiùs procœmium in partes duas, à propoſitione invocationem ſecerni: quod extat in Æneide, in Pharſalia, in Argonauticis, in Thebaide, in Bello Punico, in Raptu Proſerpinæ. Atque in his directè ſimpliciùſque proponitur: figuratè, ubi cum invocatione propoſitio commiſcetur; interdum etiam cùm ſeparatur, per apoſtrophen inſtruitur. Sic II Georg. *Nunc te, Bacche, canam, necnon ſilveſtria tecum Arbuſta.* & III. *Te quoque, magna Pa-*

les, & te memorande canemus Paſtor ab Amphryſo; vos ſilvæ, amnéſque Lycæi. Sic ipſe propoſui, cùm ad funebre viri celeberrimi elogium accederem Ioan. Balzacii; vel eò laude publica digniſſimi, quòd laudem à ſe removerit, totamque in unum omnium bonorum autorem collatam voluerit; præmio ſolenni perpetuóque, penès Academiam Gallicam rite conſtituto in eruditum Gallici carminis certamen; cujus carminis argumentum hocce præſcripſit; *ſoli Deo laudem Opt. Max. deberi.* Ego autem divina in ipſo bona, ſummumque piæ fauſtæque mortis donum ita celebrare cœpi, illuſtriſſimum Pericardum alloquens Epiſcopum Inculiſmenſem, & diſertiſſimi amiciſſimique ſenis laudatorem ampliſſimum, & adoleſcenti poëtæ jamtum impensè faventem.

Balzacium ad tumulum venio, quò me, inclyte Præſul,
Dulcibus imperiis & pulchræ mortis amicâ
Laude vocas. non tu lacrymas effundere inanes,
Credo equidem, planctuque jubes ſævire profano.
Dedecorat felicem obitum, pacemque ſepulcri
Turbat creber agens gemitum dolor: aurea manes
Aſtra ſupervecti lugubrem odêre querelam.

Solem affatur Claudianus initio de Probini & Olybrii fratrum Conſulatu.

Sol, qui flammiferis mundum complexus habenis
Volvis inexhauſto redeuntia ſecula motu,
Sparge diem meliore coma . . . . .
Jam nova germanis veſtigia torqueat annus
Conſulibus, lætique petant exordia menſes.

Nos in carmine de Chriſto reviviſcente, Solem qui eodem patiente defecerat, Terram quæ moverat, compellavimus.

Sol, qui funereæ ſquallens caligine noctis,
Inviſam Solymen & conſcia pectora facti,

Ignaroſque mali longè, nova monſtra videntes
Turbaſti populos; nitido ſpectabile cœlo
Redde jubar, lætoque incedens aureus ore
Accelera, extinctæ reparans diſpendia lucis.
Tuque, ſolum Hebræis trepido molita tumultu
Subtrahere, indignata nefas, & plangere diram
Viſa necem, Tellus, nunc omnibus excita geſtì
Lætitiis, palmaſque ſacro conſume triumpho.

Poſterior divini pars epinicii prooemio, quod capite proximo adducetur, ſecuta eſt principium illud alterius libri Georg. *Hactenus arvorum cultus*, &c. quem tranſitum jam olim amaverat Claudianus de Laudibus Stiliconis l. II.

Hactenus armatæ laudes: nunc qualibus urbem
Moribus, & quanto frænet metuendus amore, &c.
Mitior incipiat fidibus jam Muſa remiſſis.

Suus hic locus Macario Mutio detur equiti Camerti, optimè de poëſi merito, cujus de recto Chriſtianoque uſu piè doctéque ſcripſit; atque in exemplum adjecit de triumpho Chriſti poëma, ſic inchoatum.

Infernos aditus, & fracti clauſtra profundi
Ætheriâ pulſata manu, ſpoliataque cæci
Antra ducis canimus. Chriſti, pia Muſa, triumphum
Incipe: ſiderei dicam ſpectacula regni.

Recentiùs multò carmen in eundem Triumphum, ſive Aſcenſum Chriſti, longè alio, nec vulgari prooemio cœptum eſt; ut pro, *cano*, & *precor*, res ipſa proponatur, exciteturque Vates Regius, qui epinicion variis è pſalmorum locis contexat.

Aurea ſublimi Chriſtus convexa triumpho
Invehitur, plenis cœli cui ſe obvia portis
Agmina fudêre Aligerûm, Patrumque manipli
Terrâ exultantes reducem ſuper aſtra ſequuntur.
I, David, vateſque Deum, proavuſque nepotem

Aëriâ ſectare viâ. me pulvere inerti
Reptantem, & fruſtra conantem aſſurgere, corpus,
Pigra tenet moles, cœleſteſque invidet auras.

Ad eundem Poëtam ſanctiſſimum, item ad pſalmos alludendo, tacita quadam invocatione dirigitur principium carminis de Veritate & Iuſtitia; ut eas omiſſâ mendacis humani generis inſectatione, Vates divinus concinat.

Fatidicæ Princeps citharæ, quem ſæpe canentem
Jordanis tacito ſuſpenſus fluminis alveo
Obſtupuit; miſerique Orco turbata Saülis
Regia, Tartareas frangentem carmine vires:
Deſine terrarum ſolitas inceſſere fraudes,
Pérque omnes diffuſa hominum mendacia vitas.
Quin magè Alethiam divino concine plectro
Tellure exortam; frontis ſimul aſtra ſerenæ
Juſtitia inflectens, cœlo proſpexit aperto.

Catullus nuptias Pelei & Thetides canere incœpit à narratione rei, quæ nuptiarum occaſionem præbuerat; indéque ad ſalutationem potiùs, quàm invocationem delapſus eſt.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per undas
* * * * * * * * *
Tum Thetis humanos non deſpexit hymenæos;
Tum Thetidi pater ipſe jugandum Pelea ſenſit.
O nimis optato ſeclorum tempore nati
Heroes ſalvete, Deûm genus; ô bona mater;
Vos ego ſæpe meo, vos carmine compellabo.
Téque adeo, eximiè tædis felicibus aucte,
Æmathiæ columen, Peleu &c.

Euthanaſia Borgiana, cujus inventionem enucleavi ſuperiore libro, pariter ab actione narrandâ -

quæ præceſſerat eratque conjuncta cum acerbæ mortis cauſâ, incipitur cum ipſius invocatione jam immortalis Borgiæ, non merâ nudâque appellatione.

Chriſtiadûm ſacro ſociandas fœdere gentes
Luſtrabat Latiâ veniens Legatus ab arce,
Purpureus trabeam, & ſancti pars ampla Senatus,
Regiaque in ſævos acuebat prælia Turcas.
Tu quoque, Romani miſſu Patris, inclytus ibas
Legati, Franciſce, comes &c.

Petavianus de immaculato B. Virginis Conceptu panegyricus prior ab ſimplici temporis articulo decurrit.

Venerat optatum per tot jam ſecula tempus,
Quo Deus infauſtam ſobolem miſeratus Adami &c.

Alter verò ejuſdem ſcriptoris laudatiſſimi panegyricus eidem myſterio fabulam accommodavit in principio. *Quem veſtrûm latet Aſcræo celebrata poëtæ Pandora?... ſic fabula mendax, non mentita tamen noſtri ſollennia feſti argumenta refert* &c.

Ad hunc modum ſimilitudine aut diſſimilitudine, ex fabula vel hiſtoriâ inſtituitur propoſitio. Claudianus ab Argo navi, de qua Catullus ſuprà, exordium petiit libri de bello Getico: Lævinus Torrentius, Antuerpienſis Epiſcopus, de bello Turcico, à fabuloſis monſtris, quibus eſſent omnibus Turcæ immaniores. Soteria Divo Martiali, cujus tranſlato corpore extinctum fuerat dirum morbi genus per Aquitaniam graſſantis, profecta ſunt à notatione facti, quod Valerius Maximus, non tantùm Ovidius decantavit; cùm Roma graviſſimæ in peſtilentiæ remedium Epidauro acceſſivit Æſculapium: qui ſerpentis figurâ tranſvectus, urbem exitio liberavit.

Sic fucum incautis Stygius mortalibus Anguis
Fecit, opemque Dei brutâ ſub imagine finxit.
Non ea Francigenæ quondam ludibria paſſi,
Cùm per Aquitanos latè ſerpentia tractus
Ignea ſenſerunt diræ contagia peſtis.
Nec longè quæſita ſalus. flammata venena
Artubus exegit pereuntûm, auraſque ſalubres
Rettulit Indigetis tranſlato in corpore præſens
Soſpita vis, populi precibus concita clientis.
Ergo age, vota opifer nunquam fruſtrate piorum,
Ad tua ſacra veni, Præſul, celebrandaque vati
Annue &c.

Eſt illa Invocationis præterea ſpecies obliqua in IV. Georg. *ſi.... adſit vocatus Apollo.* Sed hoc exemplum ſingulare ex Theogonia: ubi Heſiodus Muſas non deprecatur; ſed eas ſibi fingit obvias, ab iiſque ſe ultro appellatum, & laureo ſceptro donatum, unâque præſcriptam carminis materiem. Cognatum eſt huic proœmium carminis de Fulmine. Repentè loquens inducitur Philoſophia; ſtudiis ac votis Academicæ juventutis obſecundantem, ad naturam effectuſque Fulminis perdocendos, è ſuperioribus oris ſeſe adveniſſe profitetur.

Ætheriis delapſa plagis, unde ardua rerum
Subjectam ſeriem, Naturæ ingentia regna
Colluſtro; votis avidi repetita Lycei
Huc venio, ſed qualis eram, cùm ſplendida primùm
Gentibus Aonio fundebam oracula cantu. &c.

Interdum ſententiâ morali poëma grave prætexitur; qualis eſt illa Claudiani de Mallii Theodori Conſulatu. *Ipſa quidem virtus pretium ſibi*, &c. Apotheoſis Borgiana ducitur à laude admirabilis Providentiæ, quæ cùm magnificè in univerſæ naturæ theatro ſe ſe explicet, tum in ope-

ribus gratiæ potiſſimum honoribuſque Sanctorum emicat. Satyras orditur Flaccus ab hac quæſtione.

Qui fit, Mecœnas, ut nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors objecerit, illâ
Contentus vivat, laudet diverſa ſequentes?

Idem à dubitatione Oden incepit; *Quem virum, aut Heroa*, &c. tum Lucanus poëmation ad Calpurnium Piſonem:

Unde priùs cœpti ſurgat mihi carminis ordo,
Quóſve canam titulos, dubius feror. hinc tua, Piſo,
Nobilitas, veteriſque citant ſublimia Calpi
Nomina, Romanas inter fulgentia gentes:
Hinc tua me virtus rapit, & miranda per omnes
Vita modos.

Plurimæ demum viæ ſunt exordiendi, ut Rhetores loquuntur, ex abrupto. Et orator quidem ſæpe auditorem veteratorio flexu circumvenit; ac pedetentim in cauſam ingredi ſolet: aliquando tamen animis non irrepit, ſed irrumpit. Poëta, ſui ſecurus, apertè agit; ſcopum illicò ſuum notat & deſignat ingenuâ propoſitione; quanquam & ipſi cuniculis uſus nonnunquam eſſe poteſt. At minoribus in poëmatis crebrò erumpunt impetus iræ, doloris, lætitiæ, admirationis, per apoſtrophen, exclamationem, aliaſque figuras; aut acres & violenti motus, aut ſuaves ac geſtientes. Propertius elegia de naufragio Pæti ſic avaritiam invadit.

Ergo ſollicitæ tu cauſa, pecunia, vitæ es?
Per te immaturum mortis adimus iter? &c.

Horatius in Canidiam, ex perſonâ pueri prætextati:

At, ô, Deorum quiſquis in cœlo regis

Terras, & humanum genus,
Quid iſte fert tumultus? &c.
in Bellum Civile: *Quò, quò ſceleſti ruitis?* &c. Statius in Epithalamion Stellæ ſic abruptè incipit.
Unde ſacro Latii ſonuerunt carmine montes?
Cui, Pæan, nova plectra moves? &c.

Soteria pro Rutilio Gallico: *Eſtis, iò, Superi* &c. Iuvenalis indignatione ſatyricâ opus ſuum aggreditur:
Semper ego auditor tantùm? nunquàmne reponam
Vexatus toties rauci Theſeïde Codri? &c.

Feliciùs his omnibus per admirationem gratulabundus præcinuit Orator celeberrimus & poëta Muretus in ſacram Domum Lauretanam.
Unde mihi inſolitus præcordia concutit horror,
Et perfuſa metu trepidat, velut icta Deo mens?
Fallor, an hoc facit ipſe locus, ſtimuloſque paventi
Subjicit, atque animum præſentia Numinis urget?
O cœlo dilecta Domus, poſteſque beati,
Quos ego jampridem tota mihi mente cupitos,
Nunc primùm, veteris voti reus, advena viſo,
Salvete, &c.

Nos de Chriſto Patiente alteram velut ſcenam ſic aperuimus.
Quò Chriſtum, ſcelerata cohors, trudiſque rapiſque,
Compita per Solymæ, & noctis bacchata per umbras
Inſano feralem agitans clamore triumphum?
Hei mihi, quæ rerum facies!

In Deicidam Iudæum:
Proh ſcelerum feralis apex! en ſtipite Numen
Suffixum &c.

In Pſeudochriſtianum, Domini tormenta renovantem :

Tu quoque, tu, Chriſti cui non ignota poteſtas,
Gloriáque & Numen Supremo æquale Parenti !
Ah miſer! ah, quò te Phlegetontius impulit ardor! &c.

De humanis rebus ita præcinuimus. in Genethliaco Delphini, ex perſona Galliæ, ad ſui Principis cunas affuſæ.

O mihi non fruſtra ſurdas jactata per auras,
Quæ Regum ad thalamos cecini ſollennia vota !
Audiſtis, faciles Superi ! Delphinus Olympo &c.

Ad Principes Chriſtianos de Sacra in Turcas Expeditione.

Surgite, magnanimi Proceres, quos æthere ab alto
Increpuêre ſacrum ſpirantia claſſica martem :
Rurſus equos, denſas alii conſcendite puppes,
Libatamque novæ pacis differte quietem.

In Epicedio Nicolaï Comitis Serini.

Silvæ crudeles, ſilvæ, queis martia virtus
Occubat, invictamque animam cum ſanguine fundit
Chriſtiadûm Serinus amor, terrorque Getarum !
Tantine apro jam ſeminecci conceſſa poteſtas,
Quanta nec Ottomano, collectis viribus, hoſti ?

Ad Iuſta Chriſtianiſſimæ Reginæ Annæ Auſtriacæ, ex occaſione duplicis cometæ, qui Philippi IV. Regis Catholici, & auguſtæ ſororis proximis funeribus præluxerat.

Ergo luctificos, ardentia monſtra, cometas
Principibus torvo aſpectu fatale minari,
Certa nimis, mundique fides ſancita dolore eſt !
Heu monſtrum infelix ! geminus geminata cometes
Funera portavit terris : conſortia damna

Francamque Heſperiamque furens diviſit in aulam.
Ecce cadit vix compoſto ſupèr Anna Philippo &c.

Ad Heroicæ patientiæ, Chriſtianæque fortitudinis Imaginem, ex delineatione rerum Canadenſium expreſſam.

Horrendæ viſu facies! hominéſne feræne?
An nova monſtrifero rabies erupit Averno?
Barbarica attonitæ nam quæ ſpectacula menti
Objicit, atque oculos inviſa exterret Imago!
O ſcelera! ô tragici monumenta infanda furoris!

De Terræ Motu Aquitanico.

Quis tremor iſte novus, quidve hæc inſueta minatur
Tempeſtas! nutare ſolum, totiſque moveri
Parietibus viſa ecce domus: pendetque gemitque,
Ceu fluctu jactata ratis, firmiſſima moles.

De Inundatione Batavica.

Amſteliæ vaſtis quæ mœnibus urbis oberrat
Circumfuſa maris facies! fugientia latè
Arva natant, Phariosque imitata Batavia tractus.

Unde procelloſo confuſa elementa tumultu,
Et nova diluvii campos oppreſſit imago?
An ſolito major Nereus, validoque tridente
Acrior impacto aſſurgens, munimina terræ
Diſpulit; exuperanſque obices, immane ruinâ
Littoreâ molitur iter ferventibus undis? &c.

Ad Epinicion Chocimenſe magna eninvero ſeges admirationis extitit; ubi Regis Poloniæ Michaëlis mortem conſecuta proximo die victoria.

Quæ nova Sarmaticæ rerum conſortia genti!
Laurea jam taxo increvit, jam palma cupreſſo;
Feraleſque inter gemitus Victoria læto

Ecce volat plauſu, atque alto pæane Triumphus
Inſonuit: pheretro fulgentem Gloria currum
Addidit, & feſtos aris perſolvit honores.
Abjice lugubres, orbata Polonia, Regis,
Funere ab heſterno lugubres abjice ſordes;
Jamque triumphales auro nitida indue cultus;
Nec dubium cælo munus gratare faventi,
Victum acie Turcam &c.

Quod ſi initia ſpeciatim exquiris orationum, quæ ſeorſum poſſint majuſcula conſtituere poëmata; earum deeſſe non patiar exempla in triplici cauſarum genere, judiciali, deliberativo, demonſtrativo. Luculentæ ſunt conciones illæ Metamorphoſeon libro XIII. Ajacis & Vlyſſis in contentione de armis Achilleis. Ajax, ut erat impatiens iræ, effertur impetu: *agimus proh Juppiter, inquit, ante rates cauſam, & mecum confertur Vlyſſes!* Hic veterator, dicendique artifex, inſinuationem adhibet, judicibuſque obrepit.

Si mea cum veſtris valuiſſent vota, Pelaſgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis heres;
Tuque tuis armis, nos te poteremur Achille.
Quem quoniam non æqua mihi vobiſque negarunt
Fata &c.

Ejuſdem modi ſunt Æneid. XI. ubi de pace conſulitur, à Drance & Turno habitæ orationes. Ille, vafer ingenio, & linguâ melior quàm dextera, graſſatur dolo & obliqua invidiâ Turnum petit. At Turnus violentiâ exardeſcens, *dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces. Larga quidem ſemper, Drance, tibi copia fandi tunc, cum bella manus poſcunt*, &c. Adverſis quoque orationibus pugnatur in Deorum conſilio à Venere & Iunone quarum abruptè incipit utraque; ſed illa implorans, hæc *acta furore gravi. Quid me alta ſilentia*

cogis

cogis rumpere. In laudem Romanæ gentis excurſurus Anchiſes Æneid. l. VI. filium propoſitione magnificâ ſic excitat.

Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde ſequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illuſtres animas, noſtrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, & te tua fata docebo.
Ille, vides? &c.

Extant ſeparatis opuſculis recentes, neque unius generis, orationes. Pax Præfica, Principis qui bello compoſito regales aliquanto antè nuptias conciliarat, obitum deplorare ſic inſtituit.

Quæ modò ſidereos tædis felicibus ignes
Regalem ad thalamum, feſtæ inter gaudia pompæ,
Pronuba jactabam; ferales Præfica tædas
Tollere nunc Parcæ invidiâ fatoque ſiniſtro
Cogor, & auguſtos luctu fœdare triumphos.

Candia ſummo in diſcrimine Principibus Chriſtianis, & maximè Regi Chriſtianiſſimo ita ſupplicare exorſa eſt.

Illa ego, cui pugnax in partes ſcinditur orbis,
Meta Muſulmannûm furiis, & publica cura
Chriſtiadûm, majorque meis ſpectata ruinis.
Æterno premor obſidio &c.

Veſtphalia Liberata Epiſcopum Principemque Paderbornenſem hacce gratulatione appellavit.
Cerne tuam indignâ, Princeps, à clade recentem
Veſtphaliam &c.

His aliquot exempla Lyricorum carminum adjungam. Ioſaphatus Indus aulam fugiens in has voces erupit.

Heu longa blandi tædia carceris,
Graviſque dudum ſarcina purpuræ
Sordentis, & probro remiſta
Gloria, magnificæque nugæ!

K

Idem Eremum iniens.

Fidi receſſus, umbriferi lares,
Deſerta ſacris culta ſodalibus,
Salvete. ô arcanis Eremum
Deliciis opibuſque fetam!

Aloyſius Gonzaga religioſo tirocinio ſe addiscens.

Iam vincla tandem rupimus aurea:
Tandem beatâ pauperie frui
Conceſſum: & optatas piorum
Jam teneo, mea regna, ſedes.

Franc. Borgia ab Iſabellæ Auguſtæ pheretro ad immortalis Domini famulatum ſe transferens:

En, quò terrigenûm gloria, quò brevis
Majeſtas recidit! Cæſaris, ah, jaces
Conjux, imperii ſidus, & alterum
Aulæ numen Ibericæ!

Ex ejuſdem viri ſancti libro ſapientiſſimo, præceptiſque de ratione concionandi Evangelica, Chriſtianus Orator inſtruitur, ſtrophes unius præcentione erectus.

Auguſta quiſquis ſcandere pulpita
Moliris, en, quid Borgia prædocet
Orbis magiſtros, Chriſtiani
Eloquii generoſus autor.
Aude vocantem rite ſequi Deum;
Sancto ſed aude ſollicitus metu,
Fatale ne munus capeſſas,
Degeneri periturus uſu.

Heroidum epiſtolæ, ceteræque Naſonis elegiæ ſatis oſtendunt, quibus in ejuſmodi carmine principiis aptè deducatur proſopopœia. Sacris in argumentis Sanſon excœcatus his primùm verbis ſtuporem ipſe ſuum interpellat.

Veráne te vigilem, Sanſon, ludibria verſant,
An tenebris miſcet ſomnia vana ſopor?

Quò mala fraus captum, quò vis inopina redegit?
Aut in me tantum cui licuiſſe poteſt?
O decus amiſſum capitis &c.
Davidis lacrymæ hinc fluunt:
Agnoſco, fateórque nefas. ah, parce fatenti,
O Deus, ô miſero ſpeſque metuſque reo! &c.

AD PROOEMII PERFECTIONEM obſervanda.

VIrtutes proœmio neceſſariæ ſummatim referuntur ad proprietatem cum brevitate, modeſtiam cum honeſtate. Sed laudes iſtæ quatuor multâ indigent explicatione, cùm ab vulgo perperam intelligantur: ne falſis occupati præjudiciis rudiores, & ſibi ipſi fraudi ſint, conceſſa debitaque ornamenta ſollicitè fugientes; & ad ea damnanda proſiliant, quæ tum optimæ rationi, tum autoritati præſtantiſſimorum ſcriptorum & uſui mirificè concinant.

Proprietas in eo ſita eſt, ut non vagè, ſed aptè congruenterque argumento præcinatur: ſive, rei tractandæ caput primis verſibus indicetur; quod eſt propoſitionis; eodemq; incumbat, ſi disjungitur à propoſitione, invocatio. Iovem, Phœbum, Muſas ethnici poëtæ, ut patet, aut eos, quos operis inſtituti materia ſpectabat, Deos orabant: niſi quòd Martem invocatum aut Bellonam, inter arma carnenda, vix reperias. Maro ſpeciatim Sicelidas Muſas, & Arethuſam invocavit ob Theocritum Syracuſanum, cui ſtudebat in opere Bucolico. Chriſtianis vatibus quid agendum ſit, jam expoſuimus. Horatius quidem l. III. Ode 1. nihil proponit certi; ſed vulgo ſummoto carmina inaudita cantare ſe denuntiat: & Od. IV. nihil propriè petit à Calliope, quam invocat; ſed tantùm, cœlo

ut deſcendens longum melos dicat. Nimirum hoc illi ſolum eſt propoſitum, de moribus ut canat generatim, priore loco; poſteriore, ut ſua Muſis beneficia vímque divinam conſilii gratuletur. Neque in Lyricis eadem ratio eſt, quæ in Epicis. At verò in hanc proprietatis legem tirones frequentiſſimè peccant; qui temerè à carceribus, metâ, quò intendant, non conſtitutâ, diſcurrere ſint ſoliti, vanóque ſtudio & impetu carpere hinc atque illinc, quæ nihil ad rem attineant. Simul ergo in brevitatem peccant: ac ferè, ut incomitata virtus non habetur; ſic & in moribus & in artibus vitium aliud ex alio nectitur.

Brevitatis hoc ratio poſtulat, nihil ut ſupervacaneum ſit & otioſum; nihil quod ad finem procemii non pertineat, ſeu docilitatem, ſive attentionem, ſeu benevolentiam; aut quod invocationi vel dicationi aliquam non conferat dignitatem. neque enim ita brevitati ſerviendum eſt, ut ratio non habeatur honeſtatis. quâ de re plura mox, ac de brevitate generatim in dotibus narrationis. Hic admonebo duntaxat, poëmati reliquo procemium, ſic tanquam corpori caput, oſtium domui admetiendum. Notavit Scaliger in Ioviano Pontano redundantiam, quam oſtendat ipſa Vraniæ, ſive librorum de Stellis propoſitio.

Qui cælo radient ignes; quæ ſidera mundo
Labantur tacito; ſtellis quibus emicet ingens
Signifer, atque ſuos peragant errantia curſus &c.

Quàm multiplicata, quàm ſatura, ubi minimè convenit, locutio! ignes, ſidera, ſtellæ; cælo, mundo; radient, emicent &c. Intuebatur, dum hæc ſcriberet, Pontanus Georgica, ſed malè imitabatur: *Quid faciat lætas ſegetes*, &c. Hîc ſingulis membris libri ſinguli reſpondent; &, quâ etiam in parte Iovianus defecit, ſuo quiſque or-

dine tractationis. Apprimè tantum eſt ſecutus ducem Renatus Rapinus, diſtinctéque in aditu felicium Hortorum propoſuit.

Quæ terræ cultura magis florentibus hortis
Conveniat; quæ par nemori ſit forma ſerendo;
Ducendæ quis aquæ, quis fructibus uſus habendis,
Præcipio.

Hoc videlicet præclarum eſto nitidæ brevitatis cum proprietate conjunctæ ſpecimen. At in procœmio libri Meteororum intemperantior videri poſſit, quàm vel in Vrania, Pontanus; cui ſatis fuiſſet iſtas elementorum affectiones ad ſumma quatuor capita revocare, aut præcipuas aliquot denotare. is autem & ſpeciem ferme quamlibet, & multas bis térve commemoravit, nubes, ventos, ignes, aquas: neque id inciſè, Virgilianorum inſtar articulorum; *unde tremor terris, unde imber & ignes;* ſed membratim, ſed ſolutè.

Fontes, quæque amne citato
Flumina diverſis erumpunt partibus orbis,
Vndarumque vagos latebroſo è pumice ductus;
Et quæ ſint liquidis memorabo exordia lymphis.

Neque caſtigatum eſt principium Lucani, qui ſtatim effunditur, ac præcipiti declamatione ante ipſam invocationem tragœdias agit. Sed maximè in primo verſu, quaſi in fronte verecundia, deſideratur. *Bella per Æmathios pluſquam civilia campos.* Vel hac voce, *pluſquam*, vitioſum eſt principium, cùm affectationem præ ſe ferat. Vſurpavit quidem Ovidius, *pluſquam civiliter*: ſed in curſu poëmatis ita non animadvertitur, atque in primo greſſu offenſio. Modeſtum, ac ſimplex illud eſt Bencii in die Natali Domini:

Eſt Deus in terris; mortales induit artus:
Aligerûm è cœlo candida turba veni.

Et hoc ejuſdem poëtæ affine in Gregor. XIII.
Gregorio grates agimus : ſecedite curæ :
Gratia cum feſto carmine læta veni.

Damnari ſolet, ut ampullatum, Achilleidos Statianæ proœmium :
Magnanimum Æaciden, formidatamque Tonanti Progeniem &c. defenditur tamen à Scaligero; qui Græculos vocat accuſatores Statii, negatque ſcire, quid ſit tumor in oratione. non enim tumorem eſſe in ſono tantùm (alioqui tumidus etiam fuerit Maro) ſed in ſententiis abditis, & figuris inuſitatis : cujuſmodi ſunt metaphoræ Pindari ferreæ. Quod ait de Marone : ſunt hæc quidem Virgiliana carmina :
Eruet ille Argos, Agamemnoniaſque Mycenas,
Ipſumque Æaciden, genus armipotentis Achillei :
& alibi : *Magnanimuſque Anchiſiades.* Verùm amplitudo aliter ſe ſe in capite, quàm in corpore, effert : ac quatuor continenter ejuſmodi vocibus *tam longis*, (quod paulò antè dixerat ipſemet Scaliger) *ut pronunciantis exhauriant anhelitum*; tam grandibus, inquam, vocibus, tam ſonoris coagmentatum carmen primum, pompæ nimium obtinet. Thebaidos verò principium, quod Scaligero videtur admodum ſedatum atque compoſitum; minùs illo quidem elatum ſonorúmque conceſſero: ſed, ut cetera miſſa faciam; *fontes evolvere Thebas Pierius menti calor incidit*; ecquid affectationem arguit, cùm Maroni canere aut dicere ſatis fuerit? Quod ad invocationem ſpectat; ecquid à proprietate diſcedit, brevitatem corrumpit? ubi, qui
Fraternas acies, alternaque regna profanis
Decertata odiis, evolvenda Pierio æſtu ſibi deſtinavit; jam quærit ex Muſis;

unde jubetis

Ire, Dea? gentiſne canam primordia diræ?
Sidonios raptus, & inexorabile pactum, &c.

Atenim hæc univerſa directè narrata, & totus Achilles, quem in altero poëmate ſibi propoſuit, longè excedant utraque formam Epopœiæ, cui ſubjecta materies, una eſt actio heroica. Claudiani proœmium de Raptu Proſerpinæ his addere nihil eſt neceſſe, audaciâ ſuâ, furore profeſſo & inflatione famoſum.

Iam providendum eſt, ne verecundia proœmio conſentanea degeneret in vilitatem; ſed ita modeſtiæ conſulatur, ut juxtà provideatur honeſtati. Ac primùm omnis erFati circa fabulam, hiſtoriam, dictionem ſanè vitanda intelligitur deformitas. In primo offendit limine Valerius Flaccus, ex Scaligeri cenſura.

Prima Deûm magnis canimus freta pervia nautis; qui ſcilicet Argô vehebantur. At idem Flaccus, qui vulgò receptam de prima hac navi ſententiam alioqui poſſet obtendere, coarguit ſe ipſe, dum in contextu poëmatis naves alias jam extructas commemorat. Nec ſibi ante Valerium Catullus magis conſtitit, de iſta navi præfatus; *rudem curſu prima imbuit Amphitriten.* quippe Thetidos pulvinar infrà veſte purpureâ tectum deſcripſit: quâ in pictura textili navigatio Theſei ſpectabatur.

Exactum omnino & accuratum id eſſe oportet, quod primum in oculos incurrit animumque lectoris. Vide initium hoc Syphilidos; *Nunc age, quæ vitæ ratio, quæ cura adhibenda*; maximi poëtæ judicio adſcribendum haud facilè perſuaſerit Scaliger, qui divinum iſtud poëma Fracaſtorii cenſet. At in eo tamen, in quo nihil ſe deſiderare profitetur, & admirationis potiùs quàm caſtigationis partes ſuſcipere; deſiderat verè caſti-

gatque non pauca, quibus *ab ſua ipſe magnitudine diſceſſiſſe credi poteſt aliquando.* Sed finem illum adducti versûs in laude ponit, *quæ cura adhibenda:* cui vel negligentia confidentior, vel importunior affectatio ineſſe rectiùs videatur. Ego verò perinde nimiam curam & nullam, tum ubique, tum præcipuè in primordio cavendam exiſtimarim.

Silium Italicum paſſim contemni video, nec tamen exordii de Bello Punico vitium notari: *Ordior arma, quibus cœlo ſe gloria tollit Æneadûm.* Vix ordiri à verbo, nedum ab illo debuit. *Ordior arma*; prorſus inſuave ac durum: neque ſatis carmen ſuſtinetur; ſed cæſurâ intempeſtivâ langueſcit. De Tibullo quid dicam, Elegiographo cultiſſimo? An ipſum heroicus in laudatione Meſſalæ genius defecerit, ut nonnulli ſentiunt, inquirere nihil cogit: ſed quæ in manibus eſt prœmii diſciplina, obſervare jubet, principium iſtius encomii brevis neutiquam breve, aut ſatis decorum eſſe in hac parte:

At quòdcumque meæ poterunt audere Camœnæ;
Seu tibi par poterunt, ſeu, quod ſpes abnuit, ultra,
Sive minus; certéque canent minus: omne vovemus.

Ecquid ſupervacanei poſteriores verſus? ecquid languidi? quod enim iſtud officii elogiique genus, aut quis demerendum ſibi putet patronum hujuſmodi ſententiâ? ſive par, ſive major meritis tuis mihi contigerit oratio.

Naſoni proprietatis, brevitatis, modeſtiæ laus negari minimè poteſt in Metamorphoſeon prœmio:

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Dii cœptis (nam vos mutaſtis & illas)
Adſpirate meis &c.

Honeſtati ſatisfecerit nécne, dubitaverit quiſpiam. Maro quidem libri Georg. quarti propo-

ſitionem uno verſu conſtrinxit. *Protinus aërii mellis cæleſtia dona exequar.* Sed carmen hoc & Ovidiano ſplendidius, & parti duntaxat operis, ac tantò brevioris Metamorphoſibus, præfixum. Jam in primo aditu Georgicon prolocutus; & in ipſo libri hujuſce quarti exordio ſubtexit in proxima invocatione, ſeu nuncupatione, quæ faciant ad materiæ prænotionem, ad exiſtimationem, & curioſitatem movendam. *Admiranda tibi levium ſpectacula rerum* &c. Atque ut in eadem materie conſpiciatur, utrius in procemio ſit potior habenda ratio, brevitatis an dignitatis; exemplum objicio poëmatis in Chriſti Anaſtaſin, poſt liberationem Sanctorum Patrum cantatam; breviter priùs, deinde latiùs paulò inchoati.

Hactenus educti tenebroſo carcere Patres:
Altera nunc direpto Erebo victoria lethi
Decantanda mihi, & vacuo rediviva ſepulcro
Corpora. tu præſens adſpira Chriſte labori,
Victor & ipſe tuo carmen concede triumpho.

En forma brevior, ubi fortaſſe concinnitas appareat. ſequitur amplior forma, ad majeſtatem compoſita.

Hactenus infernæ disjecta repagula ſedis
Adventum ſenſere Dei; pariterque benignam
Victoris validamque manum cecinere ſoluti
Carcere ab umbroſo Manes: nunc artubus ingens
Reddit ſe vacuis, & notum Spiritus implet
Hoſpitium, mæſto redivivum corpus ab antro.
Tu mihi, tu victo ſurgentûm à funere princeps,
Dux operis, nova jam feſſas in carmina vires
Suſcita; & infixum terris rape ad æthera vatem,
Chriſte, parens vitæ, mortiſque in morte peremptor.

Equidem inſtitutionis Horatianæ memini, quâ nihil eſt tritius:

Nec ſic incipies, ut ſcriptor Cyclicus olim:

Fortunam Primi cantabo & nobile bellum.
Quantò rectiùs hic, qui nil molitur ineptè!
Dic mihi Muſa virum, captæ poſt mœnia Troiæ
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Verùm hæc introſpicienda nobis doctrina eſt. ac primùm de Homeri, cujus procœmium Odyſſeæ refertur, abſoluto elogio viderint ii, qui nec pauca, nec levia jactant ſe in eo peccata deprehendiſſe: ex quibus nonnihil attigi in Diſſertatione de materia poëmatis. Scaligero ſi credimus, unus Maro ſcivit, quid eſſet non ineptire. & ſcilicet innumera ſunt, quæ vir doctiſſimus Homero probra impingit. Ain' verò tu, Horati, nihil Homerum ineptè moliri? quis tuus ergo ille ſenſus? quæ mens, cùm ais, quandoque ipſum dormitare? Tolerabilius utique ſomnus opere in longo obrepit: neque ego ſtatim ſomno occupatum oppreſſumque dixerim. Sed itáne demiſſum Iliados principium?

Iram cane Dea Pelidæ Achillei
Pernicioſam, quæ infinitos Achivis dolores impoſuit;
Multas autem fortes animas Plutoni præmiſit
Heroum: ipſos autem laniamenta fecit canibus &c.

Quo loco advertendum ſubit, quàm ſit vigilandum, quàm acriter circumſpiciendum in præceptis, ne dogma ex facto ſingulari generale colligatur. Vt ex illa in Odyſſeæ procœmio circumlocutione Homerica, quâ Vlyſſes indicatur, non exprimitur nominatim, ducta lex iſta eſt vulgaris; Heroem non eſſe in procœmio Epopœiæ nominandum. atque hoc Vida Poëtic. l. II. ſic ſtatuit.

Jam verò cùm rem propones, nomine nunquam
Prodere conveniet manifeſto. ſemper opertis
Indiciis, longè & verborum ambage petita
Significant, umbraque obducunt. inde tamen ceu
Sublustri è nebulâ rerum tralucet imago &c.

Id quidem fecit in Æneide Virgilius : atque etiam Ecl. VIII. devenerans Auguſtum, ſuppreſſo nomine, alloquitur: *Tu mihi, ſeu magni ſuperas jam ſaxa Timavi* &c. quæ antonomaſia vim quandam habet, quòd virum in publica luce omnibus propoſitum, & quem nemini fas ſit ignorare, luculenter ſignificet. In ejuſdem Auguſti laudem excurrens Poëta ad calcem primi libri Georg. Deos ita precatur : *Hunc ſaltem everſo juvenem ſuccurrere ſeclo ne prohibete.* at mox : *Jampridem nobis cœli te regia, Cæſar, invidet.* Quamobrem uno ex loco periculosè deducitur univerſa præceptio. Homerus in procemio circumductâ oratione tantùm innuit Vlyſſem ; idem apertè nominat, nec ſemel, Achillem : verecundè ſummiſſéque exorditur in Odyſſea; ſublimiùs acriúſque in Iliade. Verendum ſanè fuerit, ut qui vulgò præceptæ dejectioni inhærent, ſatis modeſtum cenſeant illud Catulli principium ex Callimacho de Coma Berenices ; *Omnia qui magni diſpexit lumina mundi* &c. Et verò Propertius in elegia, quæ per ſe tenuis eſt, quàm ſplendidè cœpit!

Quæ fueram magnis olim patefacta triumphis
Janua Tarpeiæ nota pudicitiæ ;
Cujus inaurati celebrarunt limina currus,
Captorum lacrymis humida ſupplicibus.

Quid ipſe, optimus verecundiæ magiſter, Horatius ? *feliciſſimè audax* laudatur à Quintiliano (utinàm ne miſerrime impudens turpiſſimis ſæpe carminibus extitiſſet !) & quàm non timidè præcinit, ut alias taceam, l. III. Ode prima !

Odi profanum vulgus, & arceo.
Favete linguis : carmina non priùs
Audita, Muſarum ſacerdos,
Virginibus pueriſque canto.

Satin' glorioſè? at hujuſmodi fortaſſe gloriatio liceat in lyrico genere. Hic retexendam puto diſputationem de prooemii virtutibus, ac diligentiùs indagandum, quatenus dignitati non adverſentur dotes reliquæ, ſed famulentur. Virgilii maximè autoritate exemploque lis dirimatur.

Circa proprietatem id ſolet præſcribi, ut ne quid propoſitionem antecedat, ne quid invocationem ſubſequatur, quod argumento ipſi non ſit infixum. Atenim ut præmittam id quod ſuprà indicavi factum à Propertio elegiâ libri quarti ſextâ; decem ipſis carminibus elegantiſſimus vates proludit generatim apparando ſacrificio epinicioque poëtico: *Sacra facit vates*; ad hunc verſum; *Pura novum vati laurea mollit iter. Muſa Palatini referamus Apollinis ædem* &c. Maronis nota ſententia eſt, qui Æneidi mentionem priorum operum ſuorum præfixerit: quæ ſi à Vario & Tuccâ detracta proluſio eſt, de ſummi tamen poëtæ judicio conſtat. Et, quod extra rem vulgo cenſetur, ultra limitem operi conſtitutum, manet extremum hoc in propoſitione: *genus unde Latinum, Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ.* Perſtat in Eccl. VI. prooemium generale cum Vari laudibus: & modò citata Eccl. VIII. ſtudium illud incenſum gloriæ Cæſaris totum per orbem proferendæ. Sed longè nobiliſſimum extat monumentum in principio l. III. Georg. ubi non tranſilit lineas, nec temere evagatur; jactatione tamen poëticâ Cæſari decus ampliſſimum adornat mirificè: jamque Mecænate ad proprium argumentum advocato; *Interea Dryadum ſilvas ſaltuſque ſequamur* &c. recurrit ad Cæſarem;

Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæſaris &c.

De principii Brevitate quid ſentiendum ſit, abunde

abundè intelligitur ex primordiis Eclogarum duobus, proximè laudatis; quarum illa verſus duodecim, hæc plures, tantula poëmatia, exordio colligunt. At liber Georg. primus duo ſupra quadragenos: liber verò quartus octo & quadraginta verſus complectitur. Quem à me numerum obſervatum haud mirabitur, qui legerit Oratorem Tullianum; nec prolixitatem arguet, qui norit Martialis illud acutè dictum:

Non ſunt longa, quibus nihil eſt quod demere poſſis:
Sed tu, Coſconi, diſticha longa facis.

Ovidianum in Faſtis proœmium, cujus invocatio in quatuor & viginti carmina funditur, Virgilianis exemplis adjungerem; niſi malè audiret profuſi ingenii & immoderati nomine Ovidius. Ac Torquati Taſſi Hieroſolyma Liberata principium quadragenis explicuit carminibus. Verùm his ceteriſque omiſſis, in uno hæreo Marone, cui nunquam exprobrata loquacitas fuit.

Idem Verecundiæ Proœmii, ſeu Modeſtiæ quid debeatur, egregiè commonſtrabit. eâ metaphoras, aliosque tropos non arceri docebit, qui dixerit primo Georgicon ingreſſu; *Quid faciat lætas ſegetes*; in tertii libri principio; *pelagóque volans da vela patenti*: in quarti exordio; *magnanimos duces & populos apum*: Æneidos initio; *memorem iram*; *volvere caſus*. Quàm verò illuſtria figuris quæ ſuprà commemoravi, vel Bucolica exordia! Neque excludi proœmio grandia ſonantiaque carmina, ne inuſitatæ quidem formæ, cúmque licentia conjunctæ, uſu declarabit ſuo, qui cecinerit in primordio Eclogæ, *Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno*; l. I. Gorg. *Autorem frugum, tempeſtatumque potentem*; II. l. *tibi pampineo gravidus Autumno floret ager*; l. III.

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
**In foribus pugnam ex auro ſolidoque elephanto.*
Atque hic undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac navali ſurgentes ære columnas.
**Biſque triumphatas utroque ab littore gentes.*
**Immanemque rotam & non exuperabile ſaxum.* &c.

Nihil profectò in univerſo Maronis opere ſplendidius ac glorioſius illo primi libri Georg. & hoc tertii principio. ex quo ſequitur, multam ineſſe debere proœmio dignitatem. Et ſane multa ineſt Soteriorum ad S. Genovefam exordio huic Petaviano :

Diva potens morborum, & acerbis unica rebus
Speſque ſaluſque; tuos per te redivivus honores
Aggredior : qualis pelagi ſervatus ab undis
Naufragus ....
ad ſacros figit donaria poſtes.

Nec ſuperbum, at ſublime; non tumidum, ſed amplum eſt illud ejuſdem Petavii principium in laudem Vrbani :

Viſa triumphales olim ſentire colonos,
Et manibus verſata ducum felivius uber
Fundere per Latium tellus &c.

Proprio quodam jure poëmati, cujus eſt inſcriptio *Currus Gloriæ*, triumphale initium debebatur.

Scande triumphalem, Victor, quem Gloria currum
Admovet &c.

Maximè verò decebat magnificentia Epinicion cantatum eo ipſo tempore, quo Signa militaria, poſt Seneſenſem victoriam Condæi Principis, ab Chriſtianiſſimo Rege Ludovico Magno MARIÆ, Cœli Reginæ, Francorum Patronæ dicata, Pariſienſi Baſilicæ appenderentur, ſub Aſſumptionis ſolennia.

Bellipotens Virgo , cui regia ſervit Olympi,
Et ſacra jamdudum regali Francia voto
Sollennes Patronæ agitat, Cœlo æmula , pompas :
Aſpice quos acie partos Lodoicus honores ,
Te duce victor ovans , quæ templo inducere gaudet
Signa tholis figenda , novi decora alta triumphi.
Non aliàs majore fremens Lutetia plauſu
Gemiit , auguſtaſque tibi confluxit ad aras.
Accipe Borbonii monumenta & pignora cultûs &c.

Oportet (inquit Tullius II. de Orat.) *ut ædibus ac templis veſtibula & aditus , ſic cauſis principia pro portione rerum præponere.* tum in Oratore: *Veſtibula nimirum honeſta , aditusque ad cauſam faciet illuſtres.* Cujuſmodi fecit ipſe in II. Catilinaria. *Tandem aliquando , Quir. L. Catilinam furentem audaciâ, ſcelus anhelantem . . . . in quo exultat & triumphat oratio.* Quòd ſi Oratori licet convenitque aliquando triumphare in principio dicendi ; quantò ampliùs Poëtæ , in Panegyrico præſertim genere , quod eſt pompæ ?

Quare hoc demum ſuperioribus ex obſervationibus efficitur , ſic eſſe in proœmio miſcendas inter ſe Proprietatem , Brevitatem , Modeſtiam , Honeſtatem , ut nihil alia alii detrahat ; ſed ex juſtâ qualitatum diverſarum temperatione perfectus quidam concentus exiſtat. Ne vagum proœmium, & effuſum, prolixiuſque juſto ſit ; néve abjectius , néve ſublatius ; non audacius, non argutius : ſed accuratum , & quoties res feret , plenum dignitatis ; ac ſæpe ornatu , ſolido , non ambitioſo , magnificum.

HIc te velim obſervare, Lector, ne quis fortè ſit errandi locus; quod paginâ 93. dictum eſt, Claudiani panegyricis variis procœmium abeſſe; proprium ac ſolenne principium intelligi; nullam eſſe invocationem, neque directam propoſitionem. Quod autem pag. 116. notatum eſt de Silio Italico, vix decuiſſe initium à verbo facere: intelligi nempe, ut ab illo poëta factum eſt; à verbo in prima perſona, ídque in Epopœia, & proponendo. Ab ſecunda perſona, ut notavi, non rarò incipimus. Pag. 119. poſt hunc verſum,

Captorum lacrymis humida ſupplicibus:
adde quæ ſequuntur. Atque illud etiam grandius ejuſdem Propertii carmen 1. el. IX. l. IV.
Amphitryoniades quâ tempeſtate juvencos
Egerat &c.

Quod verò pag. 120. §. Circa proprietatem, dicitur id præſcribi ſolitum, ut ne quid propoſitionem antecedat, ne quid invocationem ſubſequatur, quod non ipſi materiæ inhæreat: ſatis appâret, procœmii cancellis conſuetudinem iſtam præſcriptionemque contineri. Sed quò liquidior exhibeatur ſententia, expunge vocem hanc, invocationem; ac percipe, vetitum eſſe vulgò, ne quid inſeratur propoſitioni, quod evenerit poſt exitum fabulæ: quale eſt Virgilianum illud, eâdem animadverſum paginâ; *genus unde Latinum*, &c. Quo tamen ex loco, aliiſque ibidem laudatis, revincitur, non eſſe opus, adeò præcisè ſemper argumentum proponi; & conſequens aliquid poſſe, vel ad ornatum, vel ad gratiæ captationem adjungi.

DISSERTATIO

DE NARRATIONE.

QVÆ SIT ; QVEM ORDINEM AMET Poëtica Narratio.

NARRATIO pars eſt maxima, vel corpus ipſum poëmatis ; ad quam principium refertur, idque habet muneris, ut ad iſtam rei tractationem excipiendam auditoris animum lectoriſve componat & apparet. Multum habere dramatis Epica debet narratio, ſive actuoſam hominum vitam imitari, perſoniſque miſceri loquentibus; illuſtrari ſimilibus, epiſodiis ornari, florere deſcriptionibus, omni genere admirabilitatis abundare. *Orationi enim & carmini eſt parva gratia, niſi eloquentia ſit ſumma : hiſtoria quoquo modo ſcripta delectat*; ut ait Plinius l. v. epiſt. VIII. Et hæc quidem hiſtorico lex poſita eſt à Cicerone ; ne quid falſi dicere audeat, ne quid veri non audeat. Sed non eadem præſcribitur poëtæ ; qui neque omnia perſequi debeat; &, quò magis gnavus fuerit in fingendo, eò ferè ſuo nomine dignior exiſtimetur. Vnde narratio poëtica, non tam rei geſtæ, quàm velut geſtæ, expoſitio eſt. Pictoribus, quorum Ariſtoteles meminit in Poëticâ, gemini ſunt poëta & hiſtoricus : ille Polygnoto, quos pingeret, facienti meliores ; hic Dionyſio, ſimiles conformanti.

Sed ab hiſtorico poëtam hoc inſigni diſcrimine plurimi ſecernunt, quòd poëta non ſervat rerum geſtarum ordinem; ut quod primo loco factum eſt, narret primum; in ultimum locum amandet, quæ poſtrema contigerunt. Ex Horatii doctrina,

Ordinis hæc virtus erit . . . . .
Ut jamnunc dicat, jamnunc debentia dici
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.

& infrà:

Semper ad eventum feſtinat, & in medias res,
Non ſecus ac notas, auditorem rapit, & quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit,

Homerus certè *non gemino bellum Trojanum orditur ab ovo*; non ab Helenæ raptu repetit; non ab Aulide, & Græcæ claſſis profectione; non à bellis in ſummi belli apparatu geſtis, & munitâ per multiplicem victoriarum præcurſionem ad Trojam oppugnandam viâ. ne initium quidem obſidionis enarrat; ſed ab ira Achillis, quæ jamdiu cœptâ oppugnatione in Agamemnonem exarſit, opus inchoat: neque ad excidium urbis perducit; at Hectoris, unici Trojanorum propugnatoris, nece concludit.

Virgilius, Homeri ſectator egregius, Æneæ navigationem erroreſque narraturus, non inde orditur, cùm claſſem ille *ſub ipſa Antandro & Phrygiæ molitur montibus Idæ*; *littora cum patriæ lacrymans, portuſque relinquit*: verùm è *conſpectu Siculæ telluris in altum* vela dantem exhibet, dum illum jam *ſeptima* portaret *omnibus errantem terris & fluctibus æſtas*. Tum appulſus ad oras Africæ, profectuſque Carthaginem, Didoni inter convivium explicat *inſidias Danaûm, caſuſque ſuorum, erroreſque ſuos*. Neque immaturâ morte oppreſſus imperfectum opus reliquit: quod inconſultiùs nonnulli opinati ſunt; ut ſupplementum etiam

de conjugio Æneæ, ipſiuſque Apotheoſi fuerit aſſuendum; non hic ſanè *purpureus latè qui ſplendeat pannus.* Turni cædes, nimirum coronis Æneidos fuit. Non minutè ſingula poëtæ pertractant: aliqua facta ſupponunt; alia rerum ſerie connexa indicant facienda. Victo ſublatoque Turno conſequens erat, ut cederet Lavinia Æneæ, qui ſic pactus fuerat ante monomachiam:

Sin noſtrum annuerit nobis victoria martem;
Sacra deoſque dabo ... mihi mœnia Teucri
Conſtituent, urbique dabit Lavinia nomen.

Atque hoc fœdus ratum à Latino rege ſanctumque fuerat, adjuratis fœderum præſidibus diis, & fœdifragorum ultoribus. Hinc, quid ſecutum fuerit, intelligendum reliquit Maro; quemadmodum & de Ænea in cœlum tranſlato ſub nomine & religione Indigetis; quod fuerat ab Iove Iunoni prænunciatum.

Mambrunus in diſſertatione Peripatetica adverſam tuetur partem; contráque Horatium, Macrobium, Vidam, Scaligerum, ac pleroſque alios, qui de Poëtica ſcripſêre, ſentit non eſſe perturbandum epicæ narrationis ordinem, ſed ſuo quidque loco narrandum, perinde atque in hiſtoria. Tantis verò nominibus Ariſtotelem opponit cum interpretibus ſuis: reſpondetque de Homero ac Virgilio, neutrum perturbatè narraſſe. Non enim Homero propoſitum fuiſſe excidium Ilii, ſed Achillis gloriam: idque conſtare ex ipſo principio; *Iram cane, dea, Pelidæ Achillis:* neque Odyſſeæ argumentum eſſe Vlyſſis errores, ſed navigationis partem: quod itidem ex proœmio conſtet, in hunc verſum exeunte: *Horum partem, Dea, filia Jovis dic & nobis.* Quæ autem intexantur Iliadi plurima Achillis iram & ſimultatem antecedentia; quæ in Odyſſea apud Alcinoum

Phæacum regem exponantur ab Vlyſſe de Ciconum bello, de Polyphemo, de Æolo, de Læſtrigonibus, de Circe, de ſuo ad inferos deſcenſu, de Sirenibus, de Scylla & Charybdi, de naufragio & ſociorum jactura, ſuaque in Ogygiam inſulam ejectione; ſcilicet ea contendit in epiſodiis habenda, ſive adjectitiis partibus, neceſſitate aliqua cum actione primariâ connexis.

Idem eſt Mambruni de Æneide judicium, ac de Odyſſea; navigationis Æneæ videlicet annum ſeptimum duntaxat à Virgilio narrandum ſuſcipi, cum appulſu in Italiam, & fatali ad conſtituendum imperium victoriâ. Convivalis autem narratio apud reginam Didonem de Trojæ ruina, ſexque annorum erroribus, in epiſodio numeratur.

Iam quæ recens hic, & philoſophicâ poëticâque diſciplinâ excultus autor, ſententiæ ſuæ firmamenta protulerit, quæque poëtæ ab hiſtorico diſcrimina; copioſiùs olim ab Iacobo Pontano in Poëticis Inſtitutionibus, & Famiano Strada in Proluſionibus Academicis tractata, non referam: cùm & ambæ, quantumvis diſcrepantes inter ſe opiniones, eodèm tamen in clariſſimis poëmatis recidant; & ſuprà, quantum ab hiſtorico poëta differat, ſatis oſtenderim; apertumque ſit, toto illos genere ſcribendi inter ſe diſſidere: quod infrà didiſium non uno loco adſtruetur. Itaque non me interponam ſplendidæ controverſiæ; ſed ſpeciem inſtruam narrationis, quâ ſimul & rectus ordo, & celebratum illud Homericum teneatur hyſteron proteron. Argumentum eſto pulcherrimum, Chriſti Domini Transfiguratio.

Sic autem narratio inſtituatur, ut non poëta per ſe, at inducta perſona loquatur. Nulli verò aptiùs tribui ſermo poſſit, quàm Petro; qui poſterioris epiſtolæ ſuæ capite primo viſum illud mi-

rificum teſtis oculatus renuntiat ſcribítque hominibus Chriſtianis. *Non enim doctas*, inquit, *fabulas ſecuti . . . . ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis* &c. ex quo prooemium ducas per conceſſionem ironicam profanis poëtis, ludicras agitandi transformationes: te Chriſti novâ formâ rapi ſubjicias, & divini fulgore vultus, & cœleſti veſtis candore: quæ fuerit obliqua propoſitio. Deinde Senatûs Apoſtolici Princeps invocetur ad rem tantam, quam ipſe litteris mandavit, renarrandam.

Tum quod inexpectatum accidat in Evangelica hiſtoria parum verſato lectori; Chriſto à mortuis jam excitato primùm habeatur iſta de Transfiguratione narratio. Quid ita? ex Domini præcepto: *nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.* Quibus verbis, cariſſimos ſibi, conſciosque arcanorum, diſcipulos tres Magiſter unicus miraculum enunciare, cujus in conſpectum delecti ſevocatique fuiſſent, ad tempus vetuerat. Poſtquam ergo redivivus Chriſtus, ædes clauſas penetrans, ſuis jucundiſſimè illuxit, atque eos improvisâ perfuſos lætitiâ deſeruit, *jam non mortalis, mortales inter agendi parcior*; quid aliud domo incluſi ſeptique ſocii tractent inter ſe, ad levandum piis ſermonibus Magiſtri Dominique optimi deſiderium, niſi facta ejuſdem ſanctiſſima, veriſſimáque effata recenſeant? Hîc verò præ cæteris dilectus Chriſto gratioſuſque Ioannes, ut erat obſervantiſſimus rerum Theandricarum perſpicaciſſimuſque contemplator; quod ex ipſius Evangelio paſſim eminet; requirat à Petro, quem ad finem illa Thaboris decora conticeſcant? jam ſublatum ipsâ die interdictum. Rei novitate concitati ſodales, piáque curioſitate accenſi, inſtent utrique, & Ioanni & Petro, myſterii quid hacte-

nus ſuppreſſerint ? Nec Petrus juſtis maturiſque reſpondere ac ſatisfacere ſtudiis cunctetur : expromprurum ſe annuat quidquid expetant , ſi modò humana voce liceat exprimere divina ſpectacula.

Nil circa patulum moretur orbem, ut Thaboris montis amœnitatem deſcribat, veſtitus viridiſſimos, aquarum perennitates, florum copiam & varietatem, avium frequentiam & modulationem. Digna ſe, digna argumenti religione Petrus afferat : locum jam uſque à priſcis Hebræorum Iudicum temporibus inſignitum illuſtratumque miraculo notet ; *ubi colliſi ſunt currus, & hoſtium Chananæorum ſuffocatus eſt exercitus*; cœlo, ut ſubinde à triumphali vate Deborâ canitur, adverſus eos pugnante : ſed longè clariorem quondam exiturum *montem ſanctum* à ſplendore, quem Chriſtus admirabili Transfiguratione emiſerit, quàm illa veteri ſtellarum in Siſaram dimicatione. Ab hac loci commendatione totam ſeriem divinæ veriſſimæque, at brevis extimæque tantùm metamorphoſeos revolvat Petrus, & Moſis Eliæque plenum majeſtate comitatum, & ſuam ipſius miſtam ſuavitate trepidationem, votumque inconſultum, & *vocem delapſam à magnifica gloria*. tum vocalis quaſi tonitrûs, placidi licèt amicíque, reverentia & ſacro quodam horrore dejectum ſe cum Iacobo & Ioanne ; ſed tactu ac verbo ſupervenientis Magiſtri blandiſſimè erectos, juſſoſque omittere timorem.

Solus erat, raptimque ſuos exutus honores,
Omnia jam noto ſimilis, veſtemque coloremque,
Oráque in humanæ ſortem revocata figuræ.
Qui ſancti aëria digreſſos montis ab arce
Prodere tanta vetat miracula, donec ab umbris
Infernis redeat victor ſub luminis auras.

Talem avidis & ſitientibus auribus narrationem excipiat gratulans diſcipulorum ille cœtus;
Quam læto inter ſe memores ſermone retractent,
Et cupidi auditæ paſcantur imagine formæ.

En ratione temporis præpoſtera, eademque rei geſtæ ordine recta expoſitio; quemadmodum à nobis jamdiu concepta extat, verſuque pertexta. Sunt aliæ narrandi ſpecies traditæ in diſſertatione de Inventione Poëtica: ubi & res geſtas, ſic tanquam futuras, explicandi, ſimplicemque narrationem in vaticinationem convertendi artificium eſt obſervatum.

POETICÆ NARRATIONIS DOTES.

QVæ virtutes in Oratoriam Narrationem quadrant, hæ parum convenire in Poëticam videntur, unâ exceptâ Suavitate. nam Probabilitati quis erit locus, ubi regnat fabula? quis Perſpicuitati, ubi voces à vulgo ſummotæ exquiruntur? Brevitatem verò tantum abeſt ut exigat, ut amplificare potiùs epiſodiiſque locupletare actionem primariam debeat. Elucere tamen in poëtica narratione omnes iſtas virtutes oportet, ſed multò aliter quàm in Oratoria; ut ſingillatim ediſſeram.

PROBABILITAS.

CVm Atticus in libro Tullii primo de Legibus dixiſſet à nonnullis multa quæri in Mario, Tulliano poëmate, ficta̓ne an vera eſſent; addidiſſetque, *ſed veritas à te poſtulatur: & mehercule ego me cupio*, inquit Cicero, *non mendacem putari; ſed tamen nonnulli iſti, Tite, faciunt impe-*

ritè, qui in iſto opuſculo non ut à poëta, ſed ut à teſte veritatem exigant. Sic ſe res habet: Verum eſt propoſitum hiſtorico, poëtæ Veriſimile. quanquam, ut ibidem notatur, *& apud Herodotum patrem hiſtoriæ, & apud Theopompum ſunt innumerabiles fabulæ.* At peccat hiſtoricus fingendo; poëta laudem meretur, ſi tamen Horatium audit monentem:

Ficta voluptatis causâ, ſint proxima veris;
Nec, quodcunque volet, poſcat ſibi fabula credi.

Cepit is exordium Artis Poëticæ à monſtroſæ picturæ fictione; cui *tabulæ* ait *fore librum*
Perſimilem, cujus velut ægri ſomnia, vanæ
Fingentur ſpecies; ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.
Scimus, & hanc veniam petimuſq; damuſq; viciſſim;
Sed non, ut placidis coeant immitia; non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Famâ ſtandum, ac veteribus inventis docet; velut præjudiciis; aut ſi quid fingis, *& audes*
Perſonam formare novam; ſervetur ad imum,
Qualis ab incœpto proceſſerit, ac ſibi conſtet:
(niſi magna videlicet ratio intervenerit mutationis morum, quæ faciliùs in Epopœiam cadit, cujus actio latè patet, quàm in Tragœdiam, cujus peranguſto tempore materies coercetur.) Exinde multa ſagaciſſimus autor de variis variarum ætatum moribus exequitur, ad probabilitatem ſanè facientia. Videndum, quid cujuſque conditioni & fortunæ, quid patriæ vitæque inſtitutis congruat. alius gloria, lucro alius, alius voluptate ducitur. ſui cuique genti ritus; & quàm loquendi, tam ſentiendi agendique diverſa ratio.

Atenim valdè laborat, aut veriùs jacere omnino videtur Probabilitas in veterum commentis Poëtarum.

Poëtarum. Gerardus Ioan. Voſſius, plurimarum litterarum homo, cùm prædixiſſet Inſtitutionum Poëticarum libro primo, apud Maronem quoque, non modò apud Homerum, eſſe non pauca; *quæ planè fidem exuperent*; in iiſque virgulta è Polydori cadavere enata: negat ad iſtius figmenti excuſationem facere, *quòd Daphne, Cypariſſus, aliique in arbores fingantur commutati. nam id vivis contigiſſe ſcribunt, non cadaveri, ut Maro.*

Sed idem, poſt eluſam de ramo aureo fabulam; *at de cadavere Polydori*, inquit, *res facilis. nam & Romuli haſta in monte Albano dicitur frenduiſſe.* Quaſi verò interſit, mortuáne an viva corpora ſint, quæ transformentur; & virgulta ſilveſcere ex cadavere, majoris operæ ſit, quàm ſpirantes homines in arbores converti; aut difficilius, frondes haſtam induere, quàm humana corpora in alienam mutata naturam & cortice obduci, & foliis opacari. Tum illi, quod priùs erat viſum incredibile, expeditum fit exemplo pariter incredibili: & quidem in eodem genere; cùm ea virgulta ſepulcralia ex telis in Polydorum conjectis extiterint. *Hîc confixum ferrea texit*
Telorum ſeges, & jaculis increvit acutis.
id quod non advertit vir infinitæ lectionis & ſcriptionis. At materiem ipſam Virgilius telorum ſignavit, ubi *cornea* dixit *virgulta*, *& denſis haſtilibus horridam myrtum.* Siquidem, ut ipſe notavit Georg. l. II. *myrtus validis haſtilibus, & bona bello cornus.* Quin Virgilianæ metamorphoſeos defenſor parciùs attigit monſtrum Æneæ objectum in eaque hæſit parte, cui minimum ineſſet difficultatis; providere ſibi viſus, ut haberet temperato prodigio conſimile quod opponeret. Stillantem certe ſanguinem è virgultis, gemitum imo auditum tumulo, & vocem redditam à cadavere

Ænean ipſiuſque pietatem agnoſcente, præteriit. Aptiùs mox animadvertit, in rebus quæ fieri poſſunt, haberi non ea ſola quæ ſapientes viri, ſed etiam quæ vulgus poſſe Deos exiſtimet. refertque Agathonis laudatam illam, nec ſemel, ab Ariſtotele ſententiam: *Veriſimile, fieri multa & præter veriſimile.*

Divinæ quidem poteſtatis ratio multis ab incommodis probabilitatem vindicat poëticam: ſed graviſſima difficultas circa Deos ipſos verſatur fabuloſos. Quorum bella perſtringens Tullius; *hæc*, ait, *& creduntur ſtultiſſimè, & plena ſunt futilitatis, ſummæque levitatis.* Mihi verò neutiquam laborandum arbitror in tuendis ethnicorum inſanis poëtarum ſubſtructionibus, quarum tanquam in aquâ vel in cœno poſita ſunt fundamenta. Libentiùs, quod jam aliquot locis feci, redarguerim *falſas opiniones, errores turbulentos, ſuperſtitiones aniles, impias fabulas*, quales vocantur à Cicerone. Vulgata ſunt Academici Legiſlatoris de Homero, cæteriſque corruptâ poëticâ rempublicam corrupturis, graviſſima judicia.

Neque Ariſtoteles, qui tantum Homero tribuit, illa indecora diſſimulavit Vlyſſis in Scyllâ ejulantis, atque ejuſdem poſtea inter ſomnum à Phæacibus nautis in Ithacâ expoſiti. ſed molliori brachio egit de diis: ea tamen dixit, quæ vim doctrinamque in ſe cohibeant inanitatis fabuloſæ impietatiſque condemnandæ. Bonos induſtrioſque nobis pictores imitandos præſcripſit; qui ita ſimiles, quos exprimendos ſuſcepêre, efficiunt, ut pulchriores depingant. ac multò antè poſuerat, honeſtiores graviores que poëtas, actiones pulchras eſſe imitatos; humilioris verò ingenii ſcriptores, improborum expreſſiſſe actiones. Et id quidem Homero dat, ut meliores faciat: ſed

quos, aut quo pacto ? non Deos ſanè. horum enim jurgia, prælia, vulnera, vincula, flagitia ſic aſſiduè confingit & concinit; ut, quod obſervat Longinus, viros qui bellum geſſêre Trojanum, ad cœleſtium ſortem & majeſtatem extuliſſe videatur; immortales ad hominum conditionem miſerrimam dejeciſſe. Itaque quod ait de Pauſone illo pictore Philoſophus, deteriores eum feciſſe; id verò potiùs, quàm quod idem refert de Zeuxide, quos pingebat, in præſtantiam exempli perfeciſſe; ad Homerum transferas; niſi reſpectum habeas ad mortales. *Phidias diis quàm hominibus efficiendis melior artifex traditur*: contrà planè Homerus: tametſi neque hoc ipſum vacat difficultate, quî meliores principes illos Græciæ Trojæque effinxerit, cùm eos impotentes, crudeles, furioſos exhibeat.

Seditione, dolis, ſcelere atque libidine, & irâ
Iliacos intrà muros peccatur & extra.

Sed (quod Fabius de ſculptore Polycleto notat;) *ut humanæ formæ decorem addiderit ſupra verum; ita non expleviſſe Deorum autoritatem videtur.* Non expleviſſe, dico ? immo deformaſſe, prorſuſque obtriviſſe.

D. Auguſtinus l. VI. de Civit. Dei, ex Varrone, Romanorum *omnium facilè acutiſſimo, & ſine ulla dubitatione doctiſſimo*, primum Theologiæ genus recenſet *Mythicon, quo maximè utuntur poëtæ . . . in eo ſunt multa contra dignitatem & naturam immortalium ficta . . . . denique in hoc omnia diis attribuuntur, quæ non modò in hominem, ſed etiam quæ in contemptiſſimum hominem cadere poſſunt.* Hæc ipſe Varro, cujus ampliſſimo teſtimonio præclarè in ethnicam omnem ſuperſtitionem uſus Doctor acerrimus, *theologiam fabuloſam, theatri-*

cam, ſcenicam, indignitatis & turpitudinis plenam, ſubtiliſſimè validiſſiméque exagitat.

At verò iſtiuſmodi commenta ad phyſiologiam traducuntur: & *Chryſippus, qui Stoïcorum ſomniorum vaſerrimus habetur interpres* apud Ciceronem, *vult Orphei, Muſei, Heſiodi, Homerique fabellas accommodare ad ea quæ ipſe dixerit* de univerſa natura; *ut etiam veterrimi poëtæ, qui hæc ne ſuſpicati quidem ſint, Stoici fuiſſe videantur*. Fuerint ſanè, taliaque ultro primùm excogitarint, ut cœlum, ſidera, elementa, fabulis involverent. Quid abſurdius? quid tetrius (uti aliàs expoſui) quàm res innoxias commentis ſordidis & ſceleratis contaminare; aut quamvis utiles & ſalutares, Deorum vocabulis honoribuſque afficere? ſuus eſt nonnunquam allegoriæ locus: quis negat?

Silveſtres homines ſacer interpreſque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc mulcere tigres rabidoſque leones.

Homines barbaros, atque humanitatis expertes, leonum tigridumque induerit nominibus antiquitas: at vitulos, canes, monſtra omnigena, *qualia demens Ægyptus portenta colit*; qualibus redundant fabulæ; perſonata Numina inducere, cujus impietatis, cujus furoris inventum extitit? In Ægyptum quidem cùm effuſâ fugâ ſeſe abdidiſſent, Typhonis gigantis metu, etiam majorum gentium dii, à variis beſtiarum formis præſidium imbecillitati ſuæ formidinique petiiſſe finguntur: at moribus factiſque belluas ſemper geſſiſſe, ex Homeri aliorumque veterum figmentis reperiuntur. Quibus ergo tormentis laborioſi interpretes veritatem ex inaniſſimis fabulis amenïſſimiſque exprimen? quem allegoriâ colorem tot congeſtis Numen in divinum probris, nedum ſplendorem ſordibus tantis allinent?

Neque abuti ſacris tentent litteris profanæ cultores defenſoreſque poëſeos; quòd mortales formæ ſenſuſque terreni veris de Cœlitibus crebrò uſurpantur. Cherubimorum ſpecies quadriformium ab Ezechiele & Ioanne commemoratur: ſed quàm longè à proprio animalium genere diſſita! quàm ipsâ deſcriptione myſtica! quam ex omni parte mirifica!

Taurino vires habitu, vultuque leonis;
Humano mens ore; aquilæ micat impetus alis:
Scintillat ſpecies candenti concolor æri;
Aſperſiſque oculis palmæ undique, & undique pennæ.
Intus agente Deo, partem rapiuntur in omnem;
Obviaque ipſa ſibi, ceu fulgura viva coruſcant,
Ter-Sanctumque ſonant tonitru indefeſſa canoro.

Cœleſtis militiæ frequens in ſcriptis eſt canonicis mentio: multaque Divorum bellantium exempla jam produximus in Chriſtianæ Forma Poëſeos, & primi libri Appendice: quibus hoc de S. Iacobo addatur.

Quondam acies contra Stygias, horrenda Deorum
Monſtra, ſacro intonuit bello: tum barbara viſus
Sternere, Tartareo quæ conjurata tyranno
Agmina: bellipotens rapidi cùm fulminis inſtar
Heſperias acies, ora igneus, aureus arma
Antevolans, Mauros pariter turbaret & Indos.

Nimirum ab hominibus nunquam Cœlites noſtri, ut Homerici dii, vincuntur aut læduntur. pravos Genios compeſcunt, expellunt, conſtringunt; nóſque ab inſidioſis & violentis hoſtibus invictos illæſoſque præſtant, niſi nos ipſi fœdè prodimus, & inſanâ impiaque defectione ab amiciſſimis potentiſſimiſque Tutoribus ad infeſtiſſimos acerbiſſimoſque tortores perfugimus.

Ne quid tamen ſilentio declinare videar difficultatis, ipſorum quoque inter ſe concertatio

Cœlitum in propugnationem Homericæ fictionis haud improbabilis objici poteſt ex Danielis c. x. *Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi . . . . revertar, ut prælier adversùm Principem Perſarum.*

Sed, quidquid iſtud eſt prælii, planè intelligitur diverſum ab illis Deorum pugnis Homericis. Quid ſi, nonnullis cum Patribus, malum dæmonem interpretemur, qui Perſas tyrannide opprimeret, liberationique obſiſteret Iudæorum? At quoniam ſententia communior cœleſtes earum gentium Præfectos agnoſcit; difficultatem breviter in hunc modum enodabo. Non armis, non odiis ſecum Principes illi cœleſtes confligunt: charitate ſummâ inter ſe devincti, totíque ex nutu divino ſuſpenſi placidiſſimè agunt. in hominum tamen ſibi commiſſorum procuratione accidit, ut diſſentirent Iudæorum ac Perſarum Archangeli Tutelares; dum alter Iudæos eximere avet ſervitute, ethnicíque populi, cujus pernicioſâ conſuetudine implicabatur, corruptelis; alter contrà, ſuperſtitioſæ gentis ſaluti conſulens, retinere in Perſide conatur Iudæos, quorum ex uſu Perſæ aliqui cognitionem veri Numinis religioniſque ſenſum contraherent. Pugnant igitur non tam beatæ illæ Mentes, quàm cauſæ populorum, quibus utrimque certatim providetur. Neque abſolutâ voluntate invicem contendunt moderati ſapienteſque Principes; ſed, nondum edito circa Iudaicum ſtatum Providentiæ decreto, apud Supremum Imperatorem ac Iudicem enixè rationibus & precibus ambo ſuorum ex adverſo cauſam agunt.

At bello in mediis pax & concordia regnat,
Infera dum ſuperæ cedit parétque voluntas:

ut aliàs de Chriſti voluntaria turbatione, & interna quaſi pugna canebam. *Sancti verò Angeli* (quod Auguſtinus egregiè docet l. ix. de Civit.

Dei c. v.) *cùm & ſine ira puniant, quos accipiunt æterna lege Dei puniendos, & miſeris ſine miſeriæ compaſſione ſubveniant; & periclitantibus eis quos diligunt, ſine timore opitulentur: tamen iſtarum nomina paſſionum conſuetudine locutionis humanæ etiam in eos uſurpantur, propter quandam operum ſimilitudinem, non propter affectionum infirmitatem: ſicut ipſe Deus ſecundùm Scripturas iraſcitur, nec tamen ullâ paſſione turbatur. Hoc enim verbum vindictæ uſurpavit effectus, non illius turbulentus affectus.* Idem I. Confeſſ. l. c. IV. Deum graviter & concinnè, ſplendidè ardenterque compellat; infinitiſque perfectionibus conglobatis; *amas*, inquit, *nec æſtuas: zelas, & ſecurus es: pœnitet te, & non doles: iraſceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas conſilium.* Quæ ſanè percommoda ad ſacrorum intelligentiam librorum, & piorum ſcriptionem poëmatum. Ex ipſa nunc divina ſcriptura declarationem Allegoriæ diſcamus, ſpecimenque capiamus ex illa Iacobi Patriarchæ luctâ cum Angelo celeberrima: quam Oſee Propheta ſic explanat c. XII. *invaluit ad Angelum, & confortatus eſt: flevit, & rogavit eum.* En, quomodo *fortis contra Deum*, ſive Angelum Dei nomine inſignitum, Gen. XXXII. fuiſſe intelligatur. precibus, lacrymis, evicit, extorſit, quod efflagitabat beneficium. ita fas eſt Deum ab homine premi urgerique.

Scilicet & vinci cupidus, lætuſque minacem
Exarmari iram, vincendi ſuggerit artes
Ipſe ſui, cumulatque ſequaci munere munus.

Quid in allegoricis ejuſmodi ſenſibus non plenum pietatis, decentiæ, dignitatis? Fabuloſos autem Deûm conflictus, quales apud Homerum legimus! ut mutuis ſe ſe conviciis proſcindunt! ut hoſtilibus alii in alios odiis efferuntur! ut in-

ter ſe feriunt, vulnerant, proſternunt, irrident, ejulant! Neque hoc tantùm dii in deos & cœleſtes & primarios valent: Diomedes etiam, Minervâ adjutrice, non Venerem modò, ſed ipſum belli præſidem Martem ſæviſſimè læſit, magnificè fugavit. O nugæ delirantium vatum! ô tenebræ ethnicorum! ô Divinitatis contumeliæ! Nam quid ego de flagitiis illis dicam, quæ ſileri verecundia jubet? aut quis pro merito famoſa dedecora inſectetur?

Et ſunt, qui fabulis adeo ridiculis, adeo impiis probabilitatem affingere non dubitent; Scripturæ ſacroſanctæ hiſtoriis myſteriiſque veriſimilitudinem ad poëma neceſſariam denegare non vereantur! Proh Deum immortalem, quænam iſta rerum ſententiarumque perturbatio! Ubi tandem gentium, aut quo demum ſeculo id efferre audent homines eruditi? Turcíſne & Sinis poëmata ſcribimus? qui tamen ſi æquos docileſque ſe rerum noſtrarum auditores exiſtimatoreſque præberent, evidenter credibilia ſentirent ac faterentur myſteria. Quod ſi vulgaris error, priſcorumque temporum impietate juncta veſania, commentis à ratione omníque veri ſpecie tam alienis atque abhorrentibus, veriſimilitudinem aliquam conciliavit: pia certáque perſuaſio ſapientiſſimorum virorum, & populorum, idem in hac parte ſentientium, à tot jam ætatibus inducta, argumentis tantis & judiciis confirmata, nihil poterit ad ſacrorum poëmatum ſtatuendam probabilitatem?

Injuriam auguſtiſſimæ faciam veritati, méque ipſe impietatis ultro condemnem, ſi obſoletas de diis fabulas cum immortali florentiſſimaque religione componam. ſed nihil conferendi causâ dicam: hoc generatim dumtaxat affirmabo, nihil

tam ſupra veriſimilitudinem inter veriſſima hiſtoriæ ſacræ monimenta extare, quin remotiora à poëtica probabilitate in fabuloſis inventis occurrant innumera, quæ tamen homines minimè mali veriſimilia confitentur. Ac ne gratis hoc temeréque aſſeruiſſe videar, totam quæſtionem in unum conferam exemplum Samſonis, cujus ex Palæſtinis victoriam, epico poëmati ineptam cenſet, ut alios reticeam, ſcriptor ſuprà laudatus Peripateticæ Diſſertationis. Nota eſt hiſtoria: ſed ipſius, quem pietatis ergo refellendum adorior, verbis comprehenſam universè actionem repræſento.

Vir quidam à popularibus ſuis, non odio, ſed metu hoſtium, quibus miſeram ſervitutem ſerviebant, vinculis conſtrictus inimicorum poteſtati permittitur. Is robore animi & corporis præſtantiſſimus, nullo negotio rupit vincula: & aſininâ maxillâ, quæ fortè humi jacebat, arreptâ, ſolus ingentem cladem hoſtium edidit, ſeque & patriam in libertatem aſſeruit. Sic ille argumentum epicum ex Ariſtotelea diſciplinâ propoſuit, abſtractum à nominibus Herois & populorum; quorum ab altero vinctus, alterius victor extitit Samſon. quo in argumento nonnihil & deeſſe video & ſupereſſe: uti in decurſu diſputationis expendetur. Hanc autem ſubjungit Criticus cenſuram: *Licèt hæc Samſonis actio vera ſit, non eſt tamen veriſimilis . . . Neque huic medetur incommodo, quòd divina ope illæ Samſoni vires accreverint. nam id ſimile eſt machinæ.*

Principiò cavendum eſt, ne Probabile tam arctis circumdetur terminis, ut conſiſtendi locum in poëmate non inveniat Admirabile, quod ſpectatur à poëta. Admirationem verò maximè pariunt Divinæ præſentiæ opiſque ſigna & documenta. neque hæc tantum in ſubſidium neceſſarium adhibentur, ſed frequentiùs ad ornamen-

tum. Quid erat neceſſe ad rudimentum Aſcanii militare lævo tonitru Iovem annuere? quid, Apollinem transformare ſe in Buten, ut gratuletur adoleſcenti Numanum ſagittâ interemptum, autoremque ſe teſtificetur ejus victoriæ, paribus armis nôn invidere? Ecquid arte ſolitâ poterat Iulus telum torquere, ac Remuli caput nullo extraordinario firmatus præſidio trajicere? Nimirum ex machina accedit facto juvenili, tironíque victori commendatio & admiratio. Eodem libro Æn. IX. facinus aliud ſe offert Samſonicæ finitimum actioni. Turnus Trojano cum exercitu concurrit ſolus; ac l. XI. gloriatur à ſe occiſos *uno die* viros *mille* (quot interfecti à Samſone,) cum eſſet *Incluſus muris, hoſtilique aggere ſeptus.*
Unus homo ... tantas ſtages impune per urbem
Ediderit? ... bis tum medios invaſerat hoſtes;
Bis converſa fugâ per muros agmina vertit,
dum *vires audet Saturnia Juno ſufficere.*

At enſe haſtiſque pugnabat Turnus; Samſon inermis, aſini maxillâ tantummodò inſtructus ſuperabat. Quid tum? Si Milo Crotoniates pugno bovem mactavit; quid is faciet, cui verè ante Davidem canere licuit? *poſuiſti ut arcum æreum brachia mea.* Neque hoſtilibus gladiis uti dignatur.
Nuda manus telum eſt, ferrúmque acerrima præſtat.
ac tantò mirabilior diviniórque victoria, quantò vilius imbelliuſque pugnæ inſtrumentum.

Eſto, reſponderit Diſputator Peripateticus: machinâ Turnus victor evadat in pugnâ minimè decretoriâ; ſed actio ſolida Samſonis, opitulatione divinâ extraordinariâ (quæ notio eſt machinæ) ſolvitur; id quod Ariſtotelis doctrinæ & præcepto repugnat. Itáne locus eſt nullus machinæ in exitu fabulæ? an non Æneïs machinâ peragitur?

Turni cædes, qui cardo rerum eſt, Iovis ductu & auſpicio, Diræ miniſterio conficitur. Hoc ſanè libens volenſque conceſſerit, qui hoc ipſum licere ſibi vult, conſtitutionem Virgilianæ fabulæ, tractationemque duelli Æneæ cum Turno redarguere. *Enimvero* (ait in ſua cauſæ dictione, ſeu Præfatione) *mirari mihi ſæpe contigit, quî fiat, ut in re theologica & philoſophica, in mathematicis, in diſciplinis omnibus, ſine injuria cujuſquam & offenſione, ab aliis autoribus non modò liceat diſcedere, ſed etiam eorum opiniones refellere... in re verò poëticâ id ſi conatus fueris, ſtatim majeſtatis accuſeris &c.*

Non accuſabo equidem, ſed admonebo comiter; non partum, quem loquitur, Furiarum, ſed Megæræ ſororem, Noctis filiam, ex Marone in Turnum cœlo demiſſam. Suggeram quoque alterum, in re gravioris fortè momenti, peccatum (quando ita ſentire placuit) circa machinam, ejuſdem Maronis; ubi Actiacam celebrat victoriam. Hanc enim aſſignat Phœbo, non Auguſto: cùm Cæſari id unum tribuerit, Italos in prælia egiſſe; Apollini, intento arcu territos Ægyptios, Indos, Arabas, Sabæos, Cleopatram in fugam vertiſſe. Addat in culpæ, ſi qua eſt, ſocietatem Propertium; qui lauream eandem vindicat Apollini; ſecundas tantùm partes Auguſto dat. *Proxima poſt arcus Cæſaris haſta fuit.* Optimè tamen, ut opinor, ambo poëtæ mereri de Auguſto voluerunt; nihil ex principis laude triumphoque decerpere. Non ſubiit id vereri, quod Mambrunus pertimuit, ut ſatis honeſtè cum homine ageretur, cujus victoria cum Deo communicaretur. Quin Auguſtus ipſe acceptam retulit Apollini felicitatem, memoriſque animi ſenſum exædificato templo conſecravit. Nempe homi-

nis gloria divino beneficio, non minuitur & obſcuratur, ſed augetur potiùs & illuſtratur. Præclarúmque imprimis effatum illud eſt Ciceronis l. II. de Nat. Deor. *Singularium virorum neminem, niſi juvante Deo, talem fuiſſe credendum eſt. quæ ratio poëtas, maximéque Homerum impulit, ut principibus heroum, Vlyſſi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, certos deos diſcriminum & periculorum comites adjungeret.* Adjunxit enimverò Minervam & Achilli & Vlyſſi ad ſolutionem utriuſque fabulæ & Iliadis & Odyſſeæ: quem imitando perſecutus eſt Virgilius toto illo, quo fabulam ſuam evolvit, ſingulari certamine. Cur ergo disjunguntur in pari cauſa: & cùm Odyſſea nominatim laudetur atque in exemplum proponatur, Æneis vituperatur atque exploditur?

Vide, quæſo, Cenſor erudite, quid agas, quò progrediare, cùm Samſonis actionem ob machinam Epico ſummoves argumento. non tu Maronem duntaxat, id quod expetis; ſed quod velle non videris, Homerum malæ tractationis accuſas & condemnas. Atenim cauſaris, non facturum ſatis, qui dicat eam Samſonis victoriam *à Judaico & Chriſtiano populo haberi pro vera, & proinde illis eſſe veriſimilem: quia ſublatis nominibus cùm perſonarum, tum regionum, quod Ariſtoteles fieri jubet, caret veriſimilitudine.* Vnde porrò colligis, ſi veriſimilis non eſt actio, niſi appoſitis nominibus; non exstituram magis philoſophicam & gravem quàm hiſtoriam: quæ laus poëſi à Philoſopho tribuitur; propterea quod rem in genere, qualiſque eſſe debeat, poëta ſpectat; hiſtoricus particulatim, ac qualis verè ſit, conſiderat. Namque affixa perſonis quibuſdam & locis, universè dici nequeunt.

Iſta ſanè dictu ſpecioſa, nonnullo tamen fortaſſe

taſſe fuco oblita. Ariſtoteles in Poëticâ ſuâ argumentum Odyſſeæ delineans, Vlyſſem haud nominat; ſed Neptuni, cujus vir ille peregrinus inſidiis eſſet appetitus vexatúſque, nomen exprimit. Tu verò, Peripatetice Diſceptator, argumento quod repetis ab Ariſtotele, Neptunum cur detrahis? ne fortè minùs obtemperarit ipſe ſibi, & decreto ſuo paruerit, qui nudæ actionis propoſitioni machinam injecerit? Et in Samſonis, actione quorſum aſininam maxillam oſtentas; cùm tela, quibus procos Vlyſſes confecit, non appellaris? an materiæ, quam reſpuebas, ut invidiam accerſeres, machinæque neceſſitatem oſtenderes? Eam certè ſimpliciſſima, quam profitebare, actionis propoſitio non exigebat. Mentio autem vinculorum, tam extra Samſonicam eſt actionem, quæ propriè hoſtium cæde continetur; quàm in argumento Iphigeniæ furor ille (cujus expiandi gratiâ profectus Oreſtes ad Tauricam Dianam) ab Ariſtotele fuit extra fabulam judicatus, ideóque prætermiſſus in operis deſignatione. Aut ſi diſſolutio vinculorum erat memoranda: utrum labore multo, an nullo; vine, an arte, ſolutus expedituſque Samſon fuerit; nihil ad rei caput, pro tuo & Ariſtoteleo inſtituto.

Verùm inſigni exemplo, neque heroïcorum, ſed noſtrorum pæne temporum, explicabitur nexus geminæ difficultatis; quonam modo & vinctus extricare ſe potuerit, & unus multitudinem profligare. Equitem adduco Melitenſem, Ioan. Bapt. Maſtrillum. nomen orbe toto Chriſtiano celebratum, cujúſque ad Iaponas gloria penetrauit, morte illîc pro Chriſto à P. Franciſco Marcello Maſtrillo fortiſſimè oppetitâ. Hic verò fortitudine militari nobiliſſimus Eques, indignâ prorſus negligentiâ præteritus olim ab hiſtoricis,

at idoneum aliquando ſuæ virtuis præconem, ingenioſiſſimum virum nactus; cùm inter varias prælii Naupactæi vices à Turcis captus eſſet, nudatus, conſtrictus, ſub triremis tabulata detruſus; acinacem caſu adjacentem mordicus ſtrinxit, eóque tractim impreſſo vincla diſcidit. Tum exiliens, atque ad omnia audenda paratus; impetu primo in Turcam facto, navis inferiora ſubeuntem ad ſagittarum faſces efferendos; illicò erupit in foros militibus confertos, unde in Chriſtianam claſſem acerrimè decertabatur. Novum, & terribile ſpectaculum; vir ingens corpore, animis ingentior; nudus, & occiſi claſſiarii ſanguine imbutus; ferro ſtillante, non minas intentans, ſed præſentem ſtragem importans. ardebant irâ oculi; toto ex ore nobilis furor emicabat. Turbam in mediam irruit barbarorum; cunctam in ſe pugnam convertit: unus omnium telis petitur; unus omnes concîdit. Sic victor ex captivo, & valida triremi potitus, eminenſque inter circumjecta Turcarum cadavera; Hiſpanos quoque, ad captam navim adſpirantes, feroci vultu ac voce rejecit; jubens, ut erat ſuo hoſtiumque cruore perfuſus, crebriſque horrebat ſagittis confixus, nullo tamen letali vulnere ſauciatus, ad Ioannem Auſtriacum ſe adduci, ſuam ut imperatori virtutem coram approbaret.

Ageſis, Peripatetice Diſſertator, num veriſimile cenſes fortitudinis exemplum, tam celebri loco ac tempore, tantiſque fœderatarum gentium copiis ſpectatiſſimum? Ecce tibi vir, non divinâ quadam vi excitatus, at naturali quo erat præditus robore, ſolus & nudus armatæ propugnatoribuſque inſtructiſſimæ triremis expugnator. Quem tu heroïcæ fortitudini modum præſcribis? huic à me laudato facinori gradus aliquot ſi addideris,

ad Samſonicum accedet. jámque hic probabiliter & funes duos, quibus erat obſtrictus, diſrupuerit; & mille hominum inermis contrucidarit. Leonem quidem ſæviſſimum antè necaverat, *nihil omninò habens in manu.* Factum improbabile ſucclamas. At Lyſimachus, non armatâ, ſed amiculo tantùm involutâ manu, quam leonis ori immiſit, feram extinxit. Recurrat quod in rem noſtram protuli de Olympionice, qui taurum dexteræ nudæ ictu proſtravit exanimem. Si *quod cuique repertum,* ex Virgilio, *telum ira facit*; quantò certiùs

Ardua criniti dextram Samſonis inermem
Non patitur virtus; ferro nec egena, rudentis
Maxillæ, gladios contra, vim fulminis addit?

Hæc ſpeciatim de fragili inſtrumento. Circa numerum, quicum heros unicus, *magnique ipſe agminis inſtar* depugnavit; Horatiúmne Coclitem memorabo? quem (ſicut alluditur in funebri panegyrico Nicolai Comitis Serini) Statorem ſuum Roma veriùs, quàm Iovem, appellare potuit; qui labentem rempublicam ſtitit, Hetruſcorum ingruentes copias ſiſtendo. An Scævam illum, qui Pompeianum exercitum ſuſtinuit ſolus? de quo Lucanus: *Parque novum fortuna videt concurrere, bellum atque virum.* Quæ à me producta ſi difficultatem Samſonici facti non exhauriunt; naturalia quippe, & merè humana; molliunt ſanè: probántque non incommodam intractabilemque poëticè materiam.

Nam quod ais de Ariſtoteleo præcepto ſcribendi primùm argumenti ſine nominibus, & ratione hac ſecernendi ab hiſtorico poëtæ: diſcrimen profectò hiſtorici poëtæque in ſimplici nudáque argumenti propoſitione collocare non potuit, qui Poët. c. x. facta veriſimilia poëtæ tractanda concedit. Et verò, Peripatetice Scriptor,

diſertè affirmas ipſe, veram plerumque fabulæ actionem ſubjici oportere; fictam uſquequaque, à Philoſopho permitti Comœdiæ, ob rerum & perſonarum ignobilitatem; nonnunquam in Tragœdia tolerari. *In Epico carmine*, inquis, *me autore nemo id audebit, cùm nullius ex antiquis exemplo ſe tutari queat.* Malè igitur differentia poëſeos & hiſtoriæ conſtituatur in delineatione materiæ, quæ communis eſt ſæpe hiſtorico & poëtæ.

At Poëſis generale ſpectat, ſeu veriſimile, ſeu neceſſarium: Hiſtoria ſingulare; quid Alcibiades, verbi causâ, egerit vel tulerit. Spectat poëſis generale? ſcilicet *dum nomina imponit* (ut docet ibidem Ariſtoteles) *eoque ſtudioſior eſt ſapientiæ, ac melior, quàm hiſtoria.* Dic, amabo, quænam in ſiccis, jejuniſque argumentis philoſophiæ præſtantia? ſive, dum ſcribitur, Virginem quandam aris admotam victimam; cùm eſſet clam erepta ſacrificantibus, & aliam in regionem deportata; ſacerdotem ipſam factam eſſe Deæ, cui mos eſſet hoſpites immolare: poſtea contigiſſe, ut eò frater ſacerdotis puellæ veniret; iſque ſub ipſam mactationem agnitâ ſorore, agnitus viciſſim, liberaretur præſentiſſimo periculo. Sive, ubi dicitur, peregrinum aliquem, odio Neptuni exercitum; interim dum facultates ipſius à procis dilapidarentur, filiuſque inſidiis peteretur; tempeſtate jactatum, poſtliminio domum rediiſſe, ac per mutuam quorumdam agnitionem ſuorum, inimicis perditis, ſe ſuaque ſervaſſe.

His quaſi lineamentis ſumma duorum argumentorum, unius tragici de Iphigenia, alterius epici de Vlyſſe, propoſitorum ab Ariſtotele conſtat. Fac talia hiſtoricè narrata; exple nominibus propriis argumentum: quid inde moribus, gravitati,

ſapientiæ deceſſerit ? non utique penès rudem informemque materiam, ſed in artificioſa ornataque tractandi ratione decus illud ac lumen conſiſtit poëtici documenti. Quòd ſi res quæpiam vera, ſponte ſuâ admirabilitatem habeat; quid opus erit ingenuam & velut nativam ſpeciem pigmentis illudere; commentis veritatem non excolere, ſed corrumpere ?

Nunc verò machinam revolvis opponiſque in Samſonis actione, vires captumque naturæ ſuperante. Multa jam in eam rem tuliſti reſponſa: ſi quid tamen in hac parte reliquum eſt difficultatis; conſtitue aliquando, veriſimilitudinis explorator, fabularum quam velis eſſe cauſam, veterumque poëmatum. Etenim veriſimilitudine excident illuſtres omnes fabulæ, ſi machina veriſimilitudinem evertit. Non vagabor latiùs per vaſtiſſimam illam antiquitatis profanæ regionem: atque ut è ſacris argumentis unum inſtar omnium Samſonem delegi, in quo periculum facerem; ſic unum ex profanis cum Heroe noſtro committam Herculem, cui de Samſonis hiſtoriâ à fabulatoribus varia ſunt affictа; ut leo, ut columnæ, & ſimilia. Hercules tot tamque aſperos labores exantlavit, tanta certamina obiit ſolus ferè, & orbem victoriis peragravit: Centauros domuit; Gigantes debellavit. Hæccine probabiliora facto Samſonico ſentis ? longè, credo, minùs veriſimilia. Atqui ſi Herculem extra veriſimilitudinis fines amandas; cùm eadem ceterorum ſit cauſa fabuloſorum heroum, omnium vatum ethnicorum poëmata defici veriſimilitudine arguis, unáque cenſuræ notâ proſcribis.

Allegoriæ effugium ſibi apertum amatores fabularum vulgò putarint; non tu, qui probè noris, improbabile futurum nihil, ſi res ad allego-

riam deducatur; (& quidem actio Samſonis, adumbratio Chriſti & multiplex allegoria;) neque Ariſtotelem ad eam exigere veriſimilitudinem, ſed hominum judicio metiri; atque Horatium, ſequendam eſſe famam decernere. Quid ergo? veri ſpeciem, ni fallor, ex communi veterum ſenſu concedes fabulis quibuſdam; machinaſque non rejicies, dummodò in rei caput, in actionem, maximéque in ſolutionem fabulæ non incidant. Redit quæſtio de Odyſſea, quam tu paſſim ex ore Philoſophi laudas, efferſque in cœlum; quam ne perſtringis quidem virgulâ cenſoriâ, ubi Æneidos clauſulam omnibus armis divexas: nec tamen alibi diffitere, neceſſitate adactus, ſolvi illam machinâ. *Odyſſeæ id vitii inhæſit, ut Minervæ allapſu & ope ſolvatur.* Ac rurſus, ubi de auxiliis diſputas ab heroïca actione non removendis; nequaquam ea defuiſſe Vlyſſi narras, *dum expugnat procos inermes, neque adeo multos* (grande facinus, & quod ſuppetias requirat Cœlitum extraordinarias!) *cum Telemacho & ſervitio; atque iterum turbam illam Ithacenſium cum eodem Telemacho .... ne quid de Minerva dicam, quæ primo in ordine pugnabat.*

Agnoſcis itaque machinam in Vlyſſis & victoria & pacificatione: ac tibi ipſe conſtas videlicet, qui reprehendis aliquando in Homero, quod in Virgilio criminaris. Non ſic tamen Ariſtoteles; quanquam Vlyſſis è Phæacia navi expoſitionem rationi diſſentaneam in hoc ipſo poëmate notat, & in Iliade fictionem Minervæ Græcos in obſidione Trojana retinentis: atque eodem Poëtices loco Medeam tragœdiam improbat, machinâ ſolutam. Verùm ejuſmodi ſolutionem graviùs offendere in tragicis, aliunde conjicitur: quemadmodum Achillea fugientis *Hectoris inſectatio*, ex ipſius

obſervatione Ariſtotelis, *in ſcena ſi appareret, ſanè ridicula videretur. At in Epicis latet : admirabile verò placet.* Deos Tragœdi, tanquam cœlo delapſos, producebant, vel homines è theatro auferebant, adhibita machinâ : unde cœleſti ſubſidio cuivis, extra ordinem collato palàm, nomen eſt machinæ contributum. Leviùs autem animos feriunt ſuſcepta auribus, quàm oculis ſubjecta : & multa ab aſpectu tolli vult Horatius, *quæ mox narret facundia præſens.* Tu quidem universè pronuncias, *iſta Deorum miniſteria plebi lactandæ inventa ; quæ veritati & veriſimili apud cordatos viros parum ſunt idonea.* Video gratulorque relegata ad plebeculam illa, quæ ab Petronio Arbitro jactata præſcriptaque audivimus, *Deorum miniſteria :* ſed eatenus aſſentior, quatenus inanium fictorumque ſunt Deorum miniſteria. Nam verorum quidem Cœleſtium rite ad effectus inuſitatos mirificoſque adhibeantur præſidia, non ſolùm in epiſodiis, verùm etiam in actione & ſolutione fabulæ. Quod etſi novum & paradoxum videri primâ fronte poſſit ; re tamen perpenſâ, rectéque intellectâ ſententiâ noſtrâ, æquum ac legitimum cordatis viris idoneiſque cenſoribus viſum iri non diffido. Quare Spiritum Divinum, extraordinariæ fortitudinis effectorem, commemoraſſes in argumento Samſonicæ victoriæ : atque ita, vel tacitis nominibus, ſtetiſſet admirandæ rei veriſimilitudo.

Neptunum in Odyſſeæ argumento ſimplici nominatim expreſſit Ariſtoteles : quidni Minervam ? Nempe Deum nominavit, à quo exerceceretur Vlyſſes, non adjuvaretur. Mallem ſanè Deam appellaſſet, cujus ope vir laborioſiſſimus vinceret : ídque cùm probabilius facto, tum documento ſalutarius extitiſſet. Virum enim, ut

reor, bonum & præſtantem deſignavit, ſive [illegible] loſophus, Poëticæ Magiſter ; ſive is, cuj[illegible] Horatio poëſis philoſophiæ anteponitur. [illegible] *virtus, & quid ſapientia poſſet, utile pro*[illegible] *nobis exemplar*. At virum, & virtute & ſa[illegible]tia egregium, inſidioſè à Deo oppugnari ; oppugnatum, ſuperare ; cui tandem vel credibile auditu fuerit, vel ſalubre ? Numquid ut Gigantum more cum Diis bellare homines doceantur, oblata etiam ſpe victoriæ ? Nec verò, cum abs te ſupprimi Neptunum in argumento debuiſſe negabam ; aut neceſſarium aut fructuoſum nomen iſtud factúmve ſignificabam : ſed Ariſtoteleam delineationem cùm ſequi te dixiſſes ; & propria, ex Philoſophi lege, nomina tolli mandares ; id quod extat in *Ariſtoteleâ* Poëticâ, deſideravi ; & fugam occurrentis ultro machinæ ſuſpectam habui.

Ceterùm nihilo magis inhoneſta accidiſſet Vlyſſi, quam Achilli, Minervæ præſentia. Huic ille Græcorum fortiſſimus, qui *nihil non arroget armis*, tamen acceptas refert victorias. in procinctu ad ſingulare cum Ænea certamen, jactat ſe Lyrneſſum evertiſſe cum Minerva & Iove patre. in Hectorem ore manuque imminens ; *conficiam te*, ait, *ſi fortè quis & mihi Deorum adjutor eſt*. Aderat verò Minerva, quæ tunc quidem haſtam Hectoris ab ipſo avertit ; mox ipſi propriam haſtam reddidit ſemel emiſſam in Hectorem : quo demum telo Achilles hoſtem conficit, ſeu potiùs Minerva ; ut ipſe priùs Hectori denuntiarat : *te Pallas Minerva haſtâ meâ domabit*. Ac per ſe loquens Homerus, eam cædem, ut ſuperiori cauſæ, aſſignat Minervæ ; ubi agens de Andromacha, inquit : *neque intellexerat, quòd Hectora manibus Achillis interfecerat Minerva*. Denique

ſi totius Iliadis vera concluſio eſt, iræ, quæ in poëmatis exordio propoſita eſt, Achilleæ placatio; ad hanc perficiendam Iuppiter Iridem, Thetidem, Mercurium adhibet, ut Priamus Achillem ſupplex cum regiis muneribus ad redimendum filii corpus adeat; Achilles Priami & lacrymis & donis delinitus, atque adeo parentis monitu, Deorum irâ permotus & ipſius Iovis imperio, ſeni calamitoſiſſimo patrique reddat Hectorem, fœdè crudeliterque jam toties raptatum: cujus funere Ilias planè abſolvitur.

Habes igitur non Virgilii modò, ſed Homeri quoque ſenſum & uſum circa machinam in rei ſummâ, in palmario facinore, in abſolutione clauſuláque fabulæ. Proinde ſi quid autoritates valent maximorum poëtarum; jam Æneidos, Odyſſeæ, Iliados exemplis præjudiciiſque convictus ab iſta ſententia diſcedas. Sin illa clariſſimorum poematum errata putas, non exempla; rejectiſque à cauſa tantis nominibus, ratione congrederis; quid affers novi? quid adhuc Samſonicæ opponis actioni? Duo ſuperſunt, quæ ſpeciem aliquam vímque præ ſe ferant, argumenta. Et alterum quidem, indicatum à te potiùs quàm expreſſum, à fine petitur Epici poëmatis; quod eò refertur, ut Proceres, ut Heroas informet, ad res magnas arduaſque excitet. Quotus autem quiſque id experiri volet, quod ſe adipiſci poſſe meritò deſperet? ac rem machinâ divinâ effectam quis ſanæ mentis homo ſe aſſecuturum ſperare audeat? Verùm iſtiuſmodi petitionem haud ægrè refellet, qui meminerit effatum illud Ariſtotelis; *exemplar oportet excellere.* Non utique paribus omnia factis exprimenda objiciuntur: ſed valet comparatio majorum: ac licet victoriam ſibi Samſonicam temere polliceri bel-

lator quiſque non debeat; nihilo tamen minùs ex actione tam heroicâ colligitur amor patriæ, mortis contemptus, Divinæ gloriæ ſtudium, opis ſupernæ fiducia.

Alterum diſputationis tuæ firmamentum à gloria ducitur, quæ in rebus ope Divinâ confectis ad hominem, te judice, nulla pertineat. *Heroi vitium, & probrum objicere*, inquis, *mihi videtur, quiſquis illum aliena virtute, ut furtivis corniculam plumis gloriantem palàm circumducit & oſtentat. Quæ per machinam fit actio, Dei eſt, non hominis. à Deo gloriam rei bene geſtæ ad hominem qui divertit, utrique facit injuriam.* Ego verò nihil homini ex Divino auxilio decedere honoris jam certis evici teſtimoniis ethnicorum ſcriptorum, ac potiſſimè Vatum ſummorum inſtitutis: reliquum eſt, ut ex ipſis Chriſtianæ ſapientiæ pronunciatis, Chriſtianorumque Principum factis, confirmatio veriſſimi dogmatis & ſanctiſſimi depromatur. Ac primùm gloriam rerum omnium præclarè geſtarum Deo, ut principi cauſæ, tribuendam inficiari, nefas eſt: at eandem ſæpe cum homine communicari, fas eſt affirmare; immo neceſſe, quidquid germanæ ſolidæque gloriæ advenit homini, à Divina ſcilicet beneficentia derivari. Excute, quæſo, intelligentiam tuam, & conſidera, ſatíſne iſthæc opinio pietati conſentiat, quam cetera tua diſſertatio ſapit. dum caves, ne Divina Heroicaque gloria confundatur, & Deo veram detrahis, & falſam Heroi affingis. Id porrò injurioſum, & quaſi rapina ſacrilega; cùm aut ſibi victor, aut poëta victori propriam arrogat palmam, ipſius quidem manu carptam, ſed ab operis eximii duce & comite Deo paratam & collectam.

Longè illi, queis dextra, Deus; queis improba faſtu
Lingua Gigantæo, & Titanum immania corda,

Longè abſint: procul ore nefas, procul auribus arce.

Decus omne victoriæ deferendum eſſe Numini, unde mens & animus, conſilium robúrque deſcendat, & Divinæ ſcita legis, & piorum virorum monumenta commonſtrarunt. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium*, &c. canit Vates ille Victorque mirificus pſ. CXLIII. tum aliis idem locis innumeris gloriam univerſam bello ſibi partam unicè Deo gratulatur. Neque in ſanctos duntaxat bellatores palmaris ea vis à Domino illabitur: profanis etiam ducibus tota ſeges triumphorum adoreaque impertitur. *Hæc dicit Dominus chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes.... ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo; portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Iſa. XLV. quem ego locum, & vaticinium illuſtre ad Ludovicum M. jure tranſtuli. Silv. L. II.

Regis in adventum penitùs tremere omnia viſa;
Aſpectu patefactæ arces, disjectaque caſtra;
Atque ipſo trepidæ ſternuntur nomine gentes.
Fatalem certo Lodoicum Numine ſenſit,
Victoris rapido ſtupefacta Batavia curſu
Horruit. ut Cyro quondam, ſic ferrea clauſtra
Bellipotens pandit Lodoïco, arceſque ſuperbas
Sternere amat. Dux ipſe præit, dextráque prehenſum
Borbonium populis infert Deus; & ſua bella
Ultor agens læſâ pro Relligione capeſſit.

Atenim pars illa, quæ Cyro ac pleriſque bellatoribus nimiùm convenit; *accinxi te, & non cognoviſti me*; in regem non cadit, & publicis ante bellicas expeditiones ſupplicationibus opem *Domini exercituum* invocare ſolitum, & relata ex profligatis hoſtibus vexilla Deo, Deique Matri & Conciliatrici Virgini, ad templa feſto ſolennique ritu appendere. Exemplo feliciſſimè pater

Ludovicus Iuſtus præiverat : & Rupellâ expugnatâ ſacram ædem MARIÆ Victrici fundaverat. quâ de re Lyricorum noſtrorum l. 1.

Ergo illa Regum ſpernere contumax
Divumque leges, illa diu ferox
Rupella, telluris ſuperba
Præſidiis pelagique, ceſſit!
Artis ſtupendo tandem operi ſuos
Inſana faſtus mœnia, funditus
Exciſa, ſummiſêre, Francis
Dignæ animis opibuſque moli.
Quanquam caducis non opibus ſtetit
Educta moles, non animis virûm.
Vim tanta cœleſtem probavit
Machina, bellipotenſque Numen.
Dux belli, & autor conſilii, Deus
Suæ ipſe vindex cauſæ agit, & pios
Juvat labores, ſæva Regi
Proſubigens elementa Chriſtus.
Ducto æſtuoſas aggere per vias
Obſtructa Rupellæ Oceanus freta
Senſit, reluctantique fruſtra
Suſtinuit juga dura collo.
Fruſtra procelloſo infremuit ſinu,
Tumenſque ſpumanſque, & ſocios vocans
In bella ventos & furentum
Agmina conglomerans aquarum,
Terrâ potitum denique Principem
Et ipſe adorans, imperioſum onus
Demulſit: ac, pulſo Britanno,
Fræna pati docuit rebelles.
Florent amicâ lilia Virgine,
Suſpenſa nutu quam domino colit
Victoria; & plauſis MARIAM
Advolitans comitatur alis.
Agnovit altam Borbonides opem,

Luſtrale

Luſtrale in urbis compita ferculum
Secutus; auguſtamque pompam
Rex humili celebrat triumpho.
Tunc erutarum informibus artium
Surgunt acervis ſplendida Numini
Trophæa: Rupellæque priſco
Templa micant renovata cultu.
Tunc auſpicatâ magnificum imbuit
Dextrâ laborem, ſidereæ ſacram
Ædem Patronæ; nec profana
Condere ovat monumenta victor.
** *Diſcant, MARIÆ quid valeat favor,*
Ducesque Regeſque. Et ſolidam cliens
Mox Galliam Divæ ſacravit
Rex memori celebrandus ævo.

Eidem Virgini Deiparæ Philippi tres, Chriſtianiſſimi Reges, Auguſtus, Pulcher, Valeſius, à bellis Flandricis reduces, vel templa, victoriæ nomine, vel ipſa, quibus induti vicerant, arma conſecrarunt. Quid Imperatores Conſtantinopolitani, Ioannes Tzimiſces, & Calojoannes Comnenus? hic Scythis, ille Bulgaris ſuperatis, triumphalem pompam non ſibi, ſed auguſtiſſimæ inſtruxerunt MARIÆ; cujus imaginem, hoſtilibus manubiis conſtrato currui impoſitam atque eminentem, haud magnificentiori quàm religioſiori ſpectaculo in urbem regiam invexere; Nicopœam, ut vocabant, merito ſuo triumphantem, alter in equo proſecutus, alter pedes antegreſſus. Age verò, num Principibus iſtis tam clara luculentaque cœleſtis auxilii profeſſione laurea defloruit? Ne profani quidem ethnicíque duces partem aliquam gloriæ ſuæ decerptam putabant, cùm eorum præliis Caſtor & Pollux, aliive Dii interfuiſſe narrarentur: quin eò ſe victoriaſque ſuas admirabiliores ſenatui populoque Romano intelligebant.

Atqui nulla Samſonis in actione perſona cœleſtis apparuit (quæ propria dicitur machina :) ſicut alibi retulimus, Machabæo adfuiſſe conſpicuos è cœlo auxiliares, armis fulminantes. An quidquam ope tamen iſtiuſmodi, ſubſidioque certiſſimo, detritum honoris famæque Iudæi ſenſerunt, *victoriæ & proſperitatis ſponſorem cum virtute Dominum habentes?* Si totum quidem machina prælium eſſet confectum; ſi, Machabæo ſedente, Syri fulminum vi conflagraſſent: felicitas illa pii ducis, non fortitudo habeatur. Si, ſpectatorem ſe otioſum præbente Samſone, Palæſtini turbine divinitus immiſſo disjecti, difflati, conſumpti fuiſſent: næ talem ego victoriam, Samſonis facinus heroïcum non ducerem; nec magis ipſi ſtragem hanc vindicarem, quàm Ezechiæ Regi cædem ab Angelo editam centum & octoginta quinque millium exercitûs, imperatore Sennacheribo, Hieroſolymam obſidentis. At illapsâ Divini Spiritus efficientiâ ſic heros noſter actus eſt, ut ageret : *cum Deo operatus* (quod poſtea de Ionatha, mirificam itidem ſalutiferamque victoriam adepto, fuit uſurpatum) laboris tantum exhauſit, ut ardentiſſimâ ſiti propè deficeret; niſi à triumphali cantu ad implorationem verſus Divinæ clementiæ, unde fortitudinem acceperat, defatigationi ſummæ inopiæque levamen inveniſſet, Dei geminato beneficio & miraculo ex ipſa maxilla, quæ ſanguinem hoſtium profuderat, fontem opportunè ſubmittentis. Atque ut obiter attingam, quod uſpiam obſervatum non recordor in iis, quæ veteres ab hiſtoria ſacroſanctâ ad fabulam traduxere; incenſam illam ſitim, & pugnâ collectam, in Hercule expreſſerunt antiqui poëtæ: ac nominatim Propertius eam, dicto brevi epinicio, victorem perſenſiſſe teſtatur, & aquarum penuriâ laboraſſe.

Ab hac digreſſiuncula ad contentionem ut redeam ; hoc demum ex te, Diſputator Peripatetice, quæſiero ; cùm ceteris in rebus honorifica, ut ſunt, æſtimentur Dei dona & ornamenta . quid in re ſola militari gloriam hominis corrumpant, actionique heroicæ labem aſpergant ? Vitio das virtutem à Deo datam ; & injuriam vocas, felicitatem ! quæ quidem felicitas in partibus quatuor, ac velut elementis, quibus imperatoria gloria conflatur, à Tullio numeratur. *Fuit enim profectò quibuſdam ſummis viris quædam ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna.* Pudeat ſanè, ut vis, Heroem alienâ parti virtute humanâ triumphi : (quanquam & ipſe auxilia requiris & copias ad heroicam actionem ;) ſed Theodoſii Magni victoriæ, de qua libro ſuperiori eſt actum, ſimilibuſque cur gratulans non accinam ?

O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther!

Suo jure noſter ille Ennius ſanctos appellat poëtas, quòd quaſi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis eſſe videantur ; ait Tullius. & idem, qui profectò imminutam noluerit facultatis oratoriæ famam, rectè ſapienterque oratori neceſſariam prædicat opem divinam & largitatem ; ac quemadmodum in poëmatis commendationem, ita pertinere ad orationis laudem exiſtimat. *Mihi verò ne hæc quidem notiora & illuſtriora carere vi Divinâ videntur, ut ego aut poëtam grave plenumque carmen ſine cœleſti aliquo mentis inſtinctu putem fundere, aut eloquentiam ſine quadam vi majore fluere, abundantem ſonantibus verbis uberibuſque ſententiis.* Tuſc. I. Iam ſacris & vatibus & oratoribus, Prophetis, inquam, & Apoſtolis, unde gloria tanta & autoritas ? niſi quòd eorum unicuique canere cum Davide licuit : *Spiritus Do-*

mini locutus eſt per me. Sua per eos Deus edebat oracula. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*; prædixit ac ſpopondit Chriſtus. iidem præcipuâ quadam ratione, & gratiſſimo in Deum animo cum Iſaïa profitebantur: *omnia opera noſtra operatus es nobis.* Loquebantur ipſi tamen, & agebant; oratores veriùs, quàm Pericles, Olympii; actores planè Thaumaturgi. ſed excellebat videlicet, primaſque partes Sapientia Divina Potentiaque ſuſtinebat: ſimul in magnis illis viris emicabat;

Ceu pictâ croceis nube coloribus
Formam congeminans exprimit auream,
Solémque ætherio ſol ſpeculo creat.

Quod aptiſſimè in Samſonem quadrat; *ad veri Solis* (*hoc quippe nomen ejus ſonat*) *trahere ſacramentum*: ex Hieronymi doctrina. Quid tali illuſtrius Heroe, qui naturam ipſam naſcendo ſuperavit; *multóque plures interfecit moriens, quàm antè vivus occiderat*? Plura in ejus laudationem hoc loco non addam, quem variis alibi poëticis operibus celebrarim. & vereor, ne jam ultra modum excreviſſe diſputatio iſta videatur. Atenim graviſſimam de Probabilitate Poëtica quæſtionem pertractare oportuit, & calumniam piæ poëſi inuſtam abolere. Id equidem cauſæ ipſius æquitate confectum ſpero, ac ſuam argumentis ſacris veriſimilitudinem, quæ frequentiſſimè oppugnari ſolet, aſſertam unius exemplo Samſonicæ actionis, rejectæ nominatim à multis Poëticæ ſcriptoribus. Verùm ego cum homine eruditiſſimo; qui non verbo, ut plerique, Samſonem raptim ſtrictímque petierit, ſed inſtructo directoque rationum velut agmine in eum ab Epopœiæ finibus excludendum aut ejiciendum incurrerit: cum hoc ego jam laureato adverſario manum ex jure conſerui;

amicè prorſus, at eâ quam uſurpavit ipſe permiſitque ceteris, libertate.

Numquidnam ergo ſupereſt ad ſanciendam hiſtoriarum Divinarum myſteriorumque noſtrorum poëticam veriſimilitudinem; non qualem in fabuloſis argumentis, ethnicisque poëmatis, Critici, etiam Chriſtiani quidam, admiſerunt; ſed longè, & incomparabili immenſáque præſtantiâ, ſuperiorem? Neque enim, quod abunde jam comprobavi, in abſurdis veterum & ſuperſtitioſis erroribus ulla ſtare potuit germana veriſimilitudo: & ſi vulgo probatæ fabulæ, nunquam eæ tamen ſapientibus viſæ probabiles: indéque celebris ex Varrone, apud Auguſtinum, profanæ Theologiæ partitio in mythicam, phyſicam, politicam. At ſacroſancta in hiſtoria, communique Chriſtianorum Theologia, unus eſt populi Doctorumque ſenſus, eadem ſana firmiſſimáque perſuaſio. Atque hîc tandem è re Samſonis, publicaque Chriſtianæ Poëſeos videtur, apponere brevem Ariſtotelis preſſámque argumentationem c. x. Poët. *Credibile eſt id quod fieri poteſt. quæ verò facta ſunt, manifeſtè fieri poſſunt.* cui ratiocinationi ſi quid habet uſquam diſſonum; nihil tamen, ut ſuprà multis revici, quod verè Probabilitati à me quæſitæ adverſetur. Conſtat certè, nullíſque labefactari poteſt argutiis, quod & optimæ rationi conſentaneum ſit, & autoritate ſummâ traditum, & gentium conſenſu receptum; neque credentium multitudine ſolùm, infinitóque numero, ſed etiam perfecta virtute ſapientiaque illuſtratum; longo ſeculorum tractu corroboratum; omnigenis & miraculis & vaticiniis & martyriis fundatiſſimum. Contrà omnino, ſi qua veri quondam ſpecies fabulas fucavit; extabuit jamdiu, penituſque concidit: neque auribus Chriſtianis accidere

queat falſorum inaniumque deorum inducta actio, niſi ut joculare quid, & animi causâ confictum. Vbi verò quidpiam è myſteriis, quorum fide inſtituti & innutriti ſumus, proponitur: continuò mens religione perfunditur; piéque ſubmiſſa veritati jam familiari, ac rei majeſtate defixa, carmen eo de argumento rite concinnatum excipit avidè, ſic tanquam ſuave pariter ſolidumque animi pabulum; & cœleſtem materiam, arte piâ informatam, jucundâ ſalutarique cum admiratione veneratur.

Hacce perfunctus quæſtione, ad reliquas pergo narrationis dotes, haud ita difficiles, ac proinde paucis tranſigendas.

PERSPICVITAS.

QVANQUAM apertam elocutionem omnem eſſe oportet, cùm is loquenti finis ſit propoſitus, ut intelligatur; Narrationi tamen oratoriæ potiſſimùm hæc virtus præſcribitur, quòd afferre pars iſta lucem ac diffundere in ceteram orationem debeat. Non eadem narrationis eſt poëticæ ratio, quæ, in epopœia certè, non tam pars eſt, quàm corpus ipſum, ut antè dixi, poëmatis. Neque verò epicæ, aut poëticæ cuivis expoſitioni perſpicuitas eadem convenit, quæ oratoriæ, *verbis uſitatis, nec hiſtorico, ſed propè quotidiano ſermone explicatæ dilucidè; ordine temporum conſervato, non interruptè:* ſicuti in Oratore, & l. 1. de Oratore Cicero præcepit. Ac de temporibus quidem jam dictum eſt ſub diſſertationis hujuſce initium, artificioſè ea perturbari, epiſodiiſve ſaltem intexi atque implicari. Ariſtoteles verò poëſin maximè perſpicuam vocabulis effici propriis ait, ſed humilem. Quare ut grandis, ut ſplendida eva-

dat, peregrinis illi tranſlatiſque verbis utendum ſtatuit; à genere dicendi proprio vulgarique recedendum. Omnino cum Philoſopho ſentiebat Horatius, dum caneret: *Odi profanum vulgus, & arceo*; eaque in Poëtica traderet, quæ nos capite diſſertationis ſecundæ primo attigimus, pluribuſque in proximo libro exequemur. Hîc tantùm notetur, pravo cœcoque ſtudio & labore claritatem famæ ab obſcuritate ſcriptionis captari.

Reperias enimverò, qui ætatis aureæ verba, clariſſimorum noſtri temporis autorum uſu nitida, longè aſpernentur; obſoleta, æruginoſa conquirant, atque ex altiſſimis antiquitatis ruderibus effoſſa oſtentent; Plautina, Enniana, Virgilianis, Horatianis præponant. Alios videas, qui non obviis contenti celebratiſque fabulis, ſi quid maximè reconditum in Lycophrone, in Apollodoro, ejuſque modi antiquariis deprehendant, id curioſè arripiant, & beatos ſe venditent nugis quibuſdam ſordibuſque detectis; Tiberio non abſimiles, qui, teſte Suetonio, *curavit notitiam hiſtoriæ fabularis uſque ad ineptias atque deriſum.* Nonnulli profundos & ſinuoſos perditiſſimè amant ſenſus, qui vix aliquando eruti atque evoluti, plerumque inaniſſimi, ſibique ipſi repugnantes comperiantur. Multi intricatâ laborant laboremque aliis obtrudunt dictione: abruptis pendentibuſque ſenſiculis torquent, aut oblongis exituque non invenientibus periodis lectorem auditoremque miſerè defatigant. Iniquis tamen limitibus poëticos orbes ambituſque ſententiarum aliqui definiunt; quod ſuo loco diſcutietur: nec deſunt, qui obſcurum clamitent, quidquid parum intelligunt; qui ſuas ipſi tenebras, indoctæque mentis caliginem veriùs, quàm vatis eruditionem accuſarent. Alluditur ſæpe ad fabulas, ad hiſtorias;

uſurpantur Helleniſmi, aliæque non tritæ elegantiæ: cujuſmodi ſcriptionem haud quivis, etiam alioqui non imperitus, capit, niſi aut poëta ſit ipſe, aut certè in poëtarum lectione pervolutatus.

Neque, te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectòribus.

Id verò, quod ſapienter de Poëſi monet Horatius, de Philoſophia teſtatus erat Cicero. *Eſt enim philoſophia paucis contenta judicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens, eique ipſi & ſuſpecta & inviſa.* Vtriuſque ſimul diſciplinæ vel inſcitiam, vel neglectum conjunxit apud eundem Tullium Antonius. *In Philoſophos veſtros ſi quando incidi, deceptus indicibus librorum, quòd ſunt ferè inſcripti de rebus notis & illuſtribus, de virtute, de juſtitia, de honeſtate, de voluptate; verbum prorſus nullum intelligo: ita ſunt anguſtis & conciſis diſputationibus illigati. Poëtas omninò quaſi alienâ quadam linguâ locutos non conor attingere. Cum his me (ut dixi) oblecto, qui res geſtas, aut qui orationes ſcripſerunt ſuas; aut qui ita loquuntur, ut videantur voluiſſe eſſe nobis, qui non ſumus erudiuiſſimi, familiares.* Næ illis, quibus inter legenda poëmata,

Quale per incertam lunam ſub luce maligna
Eſt iter in ſilvis,

autor quiſpiam fuerit, ex Oratoris Antonii formulâ, poëtas non attingendi; vel, tametſi non intelligant, ſimulandi tamen haud ita denſam fœdamque ſibi nubem objici, ne rideantur ab ipſis Poëticæ tironibus.

Elegantia præſertim à Poëta quæritur vel perſpicuitatis diſpendio. Sic Virgilius; *conceſſit in iras*
Ipſe Deûm antiquam genitor Calydona Dianæ.
Dilucidius utique fuiſſet; *antiquam ipſe Deûm genitor* &c. tum; *mixta rubent ubi lilia multa alba*

roſa. ecquid apertior foret diſtinctiorque oratio; *multis alba roſis*? ſed tanti fuit lepos & ſuavitas ex crebritate primi elementi, ut eam gratiam vel aliqua orationis ambiguitate captare vir intelligentiſſimus non dubitarit. Indidem profectum eſt illud Maronianum: *injiciunt ipſis ex vincula ſertis*. rectum fuerat & perſpicuum, *ex ipſis*; at inſuave. Nec poëtæ modò, ſed & oratores & hiſtorici majorem habent ſplendoris, quàm perſpicuitatis rationem. *Quid eſt, inquit, Catule, Cæſar?* muta ſic: *quid eſt, inquit Cæſar, Catule?* aut; *quid eſt Catule? inquit Cæſar*: planius feceris: at Tullianæ ſtructuræ concinnitas perierit. Et Cæſar Dictator, quo nihil ſcriptore candidius, utroſque Commentarios ſuos exorſus ab hyperbato eſt: de bello Gallico; *Gallia eſt omnis diviſa*: de bello Civili; *Litteris à Fabio C. Cæſaris Conſulibus redditis*. perſpicuitatem ſuauitatis cauſâ neglexit. Ac quandoquidem verſamur librorum in principiis; nihilne difficultatis offert Virgiliana invocatio? *quo numine læſo, quidve dolens regina deûm* &c.

Cæcum videtur quibuſdam carmen, ubi verbum non apparet, ſuſtentatâ dilatum ſententiâ. At iidem, credo, patienter expectant oratoriæ finem periodi, plerumq; in verbum deſinentis. atque hæc eſt Fabii ſchola. *Hyperbaton quoque, id eſt, verbi tranſgreſſionem, quam frequenter ratio comparationis & decor poſcit, non immeritò inter virtutes habemus. fit enim frequentiſſimè aſpera, & dura, & diſſoluta, & hians oratio, ſi ad neceſſitatem ordinis ſui verba redigantur, & ut quodque oritur, ita proximis, etiamſi vinciri non poteſt, alligetur. Differenda igitur quædam & præſumenda &c.* Quàm acerbæ legis vincula ſtrictæ adjiciunt orationi! quàm triſtem & inimicam neceſſitatem majeſtati numerorum! ſimplex, iſtiuſmodi criticis, & natu-

ralis tantummodò fuerit expedienda periodus; neque jam nomen ſuum retineat, quam nec explicare ſe, nec decurrere volvíque patiantur. Attamen & in Eclogæ proœmio ſenſum Virgilius verbúmque in carmen quintum protulit: quæ prolatio & ſuſpenſio dignitatem habet.

Paſtorum muſam Damonis & Alpheſibœi,
Immemor herbarum quos eſt mirata juvenca
Certantes; quorum ſtupefactæ carmine lynces,
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus;
Damonis muſam dicemus & Alpheſibœi.

Nec ſecùs in exordio Georgicon; *Quid faciat lætas ſegetes* ... verbum, quod eſt ſenſûs caput, quinto denique verſu reddidit; *hinc canere incipiam.* Conſimili trajectione epithetum Horatius procul disjunxit Ode l. III. IV. *Me fabuloſæ* ... nomen, *palumbes*, quarto pòſt verſu exeunte ſubjecit. Sed revertamur ad Maronem. Verendum ſanè fuerit, ne ſtudioſiores perſpicuitatis homines, ſi modò attendant, nec pudore impediantur; verendum, inquam, fuerit, ne ſubobſcurum paſſim poëtarum illum principem arguant. Sparſas toto opere triplici Bucol. Georg. Æneid. difficultates non conſectabor: quod ſub heroici poëmatis aditum occurrit, nec implicatiſſimum, objiciam. *Id metuens, veteriſque memor Saturnia belli, prima quod ad Trojam pro caris geſſerat Argis.* quære verbum, quò iſta referantur: non invenies, niſi parentheſi, quæ notari non ſolet, incluſis quatuor proximis carminibus (*necdum etiam cauſæ irarum, ſævique dolores exciderant animo* &c.) connectens quæ ſequuntur; *His accenſa ſuper*; in carmine demùm nono acquieſcas; *Arcebat longè Latio.* Longiùs etiam tractum, magiſque perplexum eſt illud è IV. Georg.

Si verò (quoniam caſus apibus quoque noſtros

Vita tulit) triſti languebunt corpora morbo :
Quod jam non dubiis poteris cognoſcere ſignis ;
(Continuò eſt ægris alius color &c.

quâ interclusione deni verſus continentur : ac tum ſubditur. *Hic jam galbaneos ſuadebo incendere odores &c.* Extant pervetuſti, novique in dies prodeunt commentarii in Virgilium, Horatium, Ovidium (qui licèt maximè perſpicuus videatur, quàm pauci tamen confertum hiſtorica fabuloſaque doctrina carmen in Ibin percipiunt!) atque in ceteros poëtas notæ & animadverſiones aliæ ex aliis pullulant ; quibus poëmatum nodos quaſi Gordios extricare homines litterati & laborioſi conantur. nec raro ſolvere aggreſſi, diúque fruſtra luctati, aut pudenter ignorantiam confitentur, aut gloriosè intelligentiam mentiuntur. crebrò, quæ nequeunt explicare, conturbant ; & cùm in autoris mentem intrare non didicerint, in ſuam eum ipſi ſententiam obtorto collo trahunt.

Quapropter injuſtè faciunt ac temerè, qui recentioribus in ſcriptis ſi quid offenderint non publicæ notitiæ ; ſi quid eruditionis, quod primo oculorum conjectu non introſpiciant ; Cimmerias illico tenebras cavillantur. Quem in ſenſum cunque incubuerit cogitatio vaga & erratica, in eo defixi hærent : ne auribus quidem explanationem admittent, quâ commodè à falſo præjudicio abducantur. Neque infrequenter accidit, ut menda typographica impingant emendatiſſimo ſcriptori ; nihil de corruptelâ ſuſpicentur : ſed cùm in ſiniſtram ſemel deflexerint, eóque violentâ interpretatione ſubjectum carmen raptaverint ; tum enimvero perobſcurum cenſeant, faſtidiosè contemptimque abjiciant, ſive inconſultâ judicandi levitate, ſeu tacitâ quadam obtrectandi libidine. Verùm etſi nubecula partem aliquam aëris infuſ-

cet, improbè cœlum aliunde ſerenum prorsùs ac lucidum eo nomine obſcuritatis infametur.

Neque verò ego hoc tantum oneris imponam noſtris præſertim oratoribus (ait Cicero; dicam ego, lectoribus) *nihil ut iis putem licere neſcire.* Si quis minùs inſtructus erit neceſſariis ad pernoſcendum poëma diſciplinis; ſi ſtudii laborem, mentiſque in hujuſcemodi ſcriptis agitationem fugiet; neque grammaticos, alióſve ad carminis aliquantò doctioris intelligentiam ſpectantes conſulere libros ſuſtinebit: facilè nulloque periculo objectas tranſilire difficultates, integrum relinquitur. Veterum in Satyris, in epigrammatis, crebra ſunt de privatis & ignotis hominibus dicta; multa de nobilibus viris diſſimulanter, fictíſque nominibus inculcata; quæ quos vellicent, nullâ fraude nulloque reipublicæ damno ignoratur.

Ita de præclaris, quibus ætas noſtra circumfluit poëticis argumentis, ſi quid junioribus inauditum, ſi quis externus locus, ſi quod inſigne gentilitium, ſi præclarum opus cujuſpiam litterarium bellicúmve laudatur: ſatis eſt noſſe generatim, amœnam deſcribi villam, principis genealogiam tractari, fetum artis ingeniique concini, pugnam triumphumque celebrari. Nihil tironem propria virorum aut regionum nomina morentur: habitet in Poëticæ uſu; narrationem, deſcriptionem, laudem animo comprehendat: cæterorum facilis erit levíſque jactura. Sin idoneos adibit interpretes, & vivam magiſtrorum vocem exquiret, ne peregrinetur in patria, ne ſuum ſeculum neſciat: ſi meditabitur ſecum ipſe, quæ legenda ſumpſit; ſi libros excutiet, unde vim elegantiamque dictionis, rerum momenta & pondera condiſcat: operæ pretium fecerit; laboríſque fructu percepto, menti ſuæ lucem oboriri ſenſerit,

nullámque

nullámque in poëſi partem caliginis reſidere.

Iam, etſi candida & pellucida mediocriter intelligentibus eſt aliqua dictio; tamen apertiſſima quæ videntur, eruditis aliter oculis, aliter parum acutis conſpiciuntur. Subeſt non raro altior ſenſus & alluſio, quæ minùs peritos fugit. Specimen hoc eſto. Neſtorii linguam impiam, biſulcam dixi, cùm ſerpentis dici triſulca ſoleat; quòd hæreſiarcha nefarius venenato dogmate ſolveret Chriſtum ſcinderétque in perſonas duas. Deipara vocatur *Alma.* pleriſque, ni fallor, communis duntaxat hujuſce vocis poteſtas occurret & ratio. Atenim M A R I A ſingulari penitùs ratione Alma nuncupatur Hebraïcè, loco Iſaiæ celeberrimo; *Ecce Virgo concipiet*; ubi nomen, *Alma*, pro Virgine abſconditâ. Cujuſmodi non otioſarum vocum animadverſiones, ut optatæ ſcriptori, legenti gratæ acciderint; ita plerumque haud neceſſariæ, cùm ingenio vulgata ferè notio ſatisfaciat.

Ad hæc, ſpeciem libri quidam exhibent perſpicuitatis, virtutem non obtinent. Nihil obverſatur fabulæ, nihil hiſtoriæ: ſimplex, & dictio & ſententia. Verùm attentiùs ſi inſpicias, umbræ tibi maculæque condenſæ objicientur partim ex rebus, partim ex verbis. Senſa diſtorta, in ſe incurrentia, in vacuum evolantia, malè concepta, perperam edita, minutiis quibuſdam interjectis ad verſûs complementum, & vocibus in alienam ſignificationem deformatis. Alii contrà, obſcuritatis ſuſpicionem primo aſpectu moventes, cùm eruditè magnificéque ſentiant & dicant; ubi propiùs familiariúſque ſpectantur, dilucidi reperiuntur, nec potuiſſe meliùs conjungere cum perſpicuitate dignitatem. Ineſt ſæpe in rebus ipſis obſcuritas: & imprudentiæ fuerit, eandem, quæ

P

blandiatur in tenuibus argumentis & cantibus ludicris, facilitatem ſeu potiùs vilitatem poſtulare in altiſſima graviſſimâque poëſi, Heroicâ, Theologicâ. Lucere tamen ex ipſo receſſu myſteria, evolvíque facultate dicendi poſſe ac perſpicuè explicari, jam indicavimus Diſſertatione primâ, & plurimis exemplis demonſtravimus. Ad extremum, ſic habeto; non eſſe tanti, placere imperitis, ut ſcribendi genus ſectere languidum, vulgare, abjectum, ſine doctrinâ & arte, ſine ſenſu & ſpiritu poëtico. Felices verò artes, ut jam olim pronunciatum eſt, ſi de iis tantùm artifices judicarent.

Perſpicuitatis exemplum ſit Ovidianum illud: *Fons erat illimis, nitidis argenteus undis, &c.*

Plura non addam, cùm hactenus producta carmina, paucis fortaſſe veterum exceptis, omnia ſanè liquida ſint & perſpicua.

BREVITAS.

PERSPICUITATI à brevitate periculum eſſe monuit Horatius: & Cicero in Philiſto ac Thucydide notavit conciſas ſententias, nec ſatis apertas, cùm nimio acumine, tum ipsâ brevitate. Quamobrem non ea hîc brevitas eſt intelligenda, quæ nimiùm contrahat præcidatque orationem; cùm ſatius omnino ſit aliquid ſupereſſe quàm deeſſe: nec modus poëmatis neceſſitate verborum, ſed honeſtate potiùs tractationis & jucunditate definiendus eſt. Ariſtoteles quidem juſtam in poëmate magnitudinem, ut in animali, flagitat ad pulchritudinem. & Cotta l. 1. de Oratore queritur divitias ingenii coarctatas, & peranguſtè in oratione Craſſi refertas, contemplandi percupido ſibi poteſtatem non fuiſſe;

tanquam in opulentam aliquam domum veniſſet, ubi non explicata veſtis, neque propoſitum argentum, neque tabulæ & ſigna propalam eſſent collocata; ſed conſtructa hæc, reconditaque ornamenta, per tranſennam aſpicere vix liceret. In lucem ea copia proferenda, & ſuo quidque ordine locoque collocandum. Itaque brevitas, ex Tullii ſententia, in univerſa eloquentia laudem non habet; habet in aliqua parte dicendi.

Tarchontem aditum ab Ænea, devinctumque belli ſocietate narrat Virgilius breviter Æn. l. x.

Namque ut ab Evandro caſtris ingreſſus Etruſcis
Regem adit, & regi memorat nomenque genuſque,
Quidve petat, quidve ipſe ferat; Mezentius arma
Quæ ſibi conciliet, violentaque pectora Turni
Edocet; humanis quæ ſit fiducia rebus
Admonet, immiſcetq; preces: haud ſit mora; Tarchon
Iungit opes, fœduſque ferit.

Præſtruxerat quippe jam VIII. l. neceſſariam huic parti cognitionem Evandri copioſa oratio. *Haud procul hinc ſaxo incolitur* &c. Vſus eſt brevitatis maximè in orationibus illiuſmodi obliquis, ubi ſummatim dicitur, aut veriùs dicta ſolùm indicantur & perſtringuntur à poëta. Quàm multa quàm paucis hîc complectitur! nuda rationum capita congerit; negotium duobus verbis tranſigit. Quoties urget res, inſtat occaſio; fervidè ſcilicet agendum ac veluti præcipitandum eſt. Sic Turnus, audito hoſtilis exercitûs adventu,

Tu, Voluſe, armari Volſcorum edice maniplis;
Duc, ait, & Rutulos. equites Meſſapus in armis,
Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turreſque capeſſant:
Cetera, quà juſſo, mecum manus inferat arma.

Clades accidit? occurrendum eſt progredienti victori? ſignificetur quàm breviſſimè,

Deletas Volſcorum acies, cecidiſſe Camillam;
Ingruere infenſos hoſtes, & marte ſecundo
Omnia corripuiſſe; metum jam ad mœnia ferri.

Exardeſcit animus irâ, & violentiâ turbidus vocem expedire vix poteſt? interciditur concitata, inſiſtitque impetu ipſo abrupta oratio. *Non arma expedient? . . . ite, ferte citi flammas, date vela, impellite remos.* Incenſum hæc itidem animum exprimunt: *Nulla mora in Turno* &c. Brevitatis in oratione vel directâ, vel obliquâ, exemplum dabo mox in narratione prælii Chocimenſis. Interim hoc accipe de monumentis Romanis acervale carmen.

Roſtra, theatra, arcus, circos, thermaſq; columnaſq;

In Marianis elogiis ordines Beatorum univerſi, Reginæ Deiparæ ſubditi, preſsè, nec ſqualidè tamen colliguntur.

Cæleſtes Genios, primique ab origine Patres,
Afflatoſque Deo Vates, legiſque beatæ
Præcones, Teſteſque ſacros, Confeſſaque Chriſtum
Agmina, Virgineoſq; choros, & quidquid Olympo eſt
Sanctorum, ac totum regno complecteris orbem.

Sed apponenda ſunt illuſtria quædam in brevitatem, quibus ad hanc virtutem & intelligendam & uſurpandam erudiamur, peccata. Longioris arguitur digreſſionis Catullus, qui poëmatis de Nuptiis Pelei & Thetidos dimidium in deſcriptione veſtis fabuláque Ariadnæ conſumpſerit. Peccaverat & ante illum Heſiodus, ſive alius quis autor Scuti Herculis, qui pugnam hujus Herois cum Cycno Martis filio aggreſſus, tam longè in ſcuti picturam excurrit, ut ea poëma item dimidium ferè occuparit.

Creber eſt prolixuſque in digreſſionibus, qui commendari ſolet à brevitate, Salluſtius. Verùm iſta laus *propterea vulgo jactata videtur*

mihi (inquit Scaliger Poët. l. IV.) *quia tribus vocibus integras explet ſententias, non circumducit, non interponit : aſyndetis utitur, omittit verba.* unde & obſcuritatis accuſatur. Nec tantùm, quaſi de via feſſus, amat diverticula : ſed jam à primo itineris ingreſſu, cùm inſtituiſſet de Catilinæ moribus pauca priùs explanare, quàm initium narrandi faceret ; *quoniam de moribus civitatis tempus admonuit*, ſuprà repetit, ac pluribus inſtituta majorum domi militiæque diſſerit, ab urbis Romæ conditu. Iiſdem verbis de urbe Roma Tacitus in principio Annalium*: non tamen ab illis Trojanorum & Aboriginum primordiis (& Annales ſcribebat ;) neque ita vagus diſcurrit, ſed citò ad res Auguſti delapſus, has ipſas compendio adſtringit, donec properans ad ejus vitæ finem perveniat, unde Tiberio exordium imperii. Graviter in brevitatis poëticæ legem offendiſſet Papinius, id ſi feciſſet, de quo Muſas interrogat, ut ſuam Thebaïda ab Europæ raptu deduceret : nec minùs erraſſet in Iliade Homerus, ſi bellum Trojanum ab Helenæ ortu traxiſſet.

Idcircò in hac parte divinus præter alios poëtas Homerus apparuit Ariſtoteli, & ipſi brevitatis dote præſtanti : quòd bellum totum non ſuſceperit canendum, ab exorſu ad exitum perſecutus ; quoniam longior extitiſſet, neque ſub unum conſpectum veniſſet ejuſmodi poëſis : at partem unam cùm ſelegiſſet, epiſodiis, ut navium catalogo ac ſimilibus, eam diſtinxit & ornavit. Laudetur verò ab univerſæ poëſeos brevitate (quamvis in adagium tranſierit longitudo Iliados ;) multis quidem in locis ita longus eſt ; ut, quod idem alibi de eodem ait Philoſophus, intoleranda prorſus talia viderentur, ſi fuiſſent à poëta quopiam malo commiſſa. Vel illa ad Achillem Æneæ oratio, quàm

otioſa in ipſo ad ſingularem pugnam procinctu! quaſi pactis ad garriendum induciis, & antè verbis quàm telis experturus, proſapiæ ſuæ ſeriem pertexit: vacátque, eo temporis articulo, in opibus Erichtonii regis equas ter mille recenſere, adeo pernices, ut ſpicas illæſas, undaſque perinde ac littoreas arenas pervolarent. Quantò brevior idem caſtigatiorque apud Maronem Æneas, ubi de ſe ipſe loquitur, ſive ad Venerem, puellæ venatricis habitum ementitam; ſive ad Evandrum de mutua ipſorum cognatione! Quantò parciùs etiam orator ille Ilioneus de ſuo hoc Rege tum apud Eliſam, tum apud Latinum! quibus maximè locis opportuna planéque neceſſaria generis vetuſtiſſimi ampliſſimíque commendatio.

Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes
Gaudet avo: Rex ipſe Iovis de gente ſuprema
Troïus Æneas tua nos ad limina miſit.

Notavi jamdiu Petronii prolixitatem in illo ſuo Specimine Belli Civilis: cujus poëmatii luxuriem, in cauſis nominatim funeſtiſſimi belli, quò liquidiùs perſpicias, compara cum iis, quibus in tanto poëmate circumciſis Virgilius cauſas indicat odii Iunonis adverſus Trojanos, velut digitum intendat ad fontem acerbiſſimæ perenniſque vexationis. Vir tamen diſertiſſimus nonnihil redundantiæ in ipſo reperit Virgilio, ut refert Suaſoriâ II. M. Seneca.

Quidquid apud duræ ceſſatum eſt mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Grajûm
Hæſit.

Meſſala ajebat, hîc Virgilium debuiſſe deſinere: quod ſequitur;

& in decimum veſtigia rettulit annum;

explementum eſſe. Atenim hæc ſpatium explicant belli, ſuperioribus non expreſſum.

Idem Seneca l. Controverſ. IX. Declama-

toris cum Poëta cauſam implicans, ſic judicium exercet perutile. *Habet hoc Montanus vitium: ſententias ſuas repetendo corrumpit; dum non eſt contentus unam rem ſemel bene dicere, efficit ne bene dixerit. Et propter hoc & alia, quibus orator poteſt poëtæ ſimilis videri, ſolebat Scaurus Montanum inter oratores Ovidium vocare. Nam & Ovidius neſcit quod bene ceſſit, relinquere &c.*

Accedat in hoc cenſuræ genere ad patrem filius, ad Rhetorem Philoſophus, alter Seneca, Natural. Quæſt. lib. III. *Ergo inſularum modo eminent montes, & ſparſas Cycladas augent, ut ait ille poëtarum ingenioſiſſimus egregiè; ſicut illud pro magnitudine rei dixit:*

Omnia pontus erat: deerant quoque littora ponto;
niſi tantum impetum ingenii & materiæ ad pueriles ineptias reduxiſſet.

Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones.
Non eſt res ſatis ſobria, laſcivire devorato orbe terrarum. Dixit ingentia, & tantæ confuſionis imaginem cepit, cùm dixit:

Expatiata ruunt per apertos flumina campos.
preſſæque labant ſub gurgite turres.

Magnificè hoc, ſi non curavit, quid oves & lupi faciant.

In hanc L. Senecæ animadverſionem tria quatuórve animadvertenda veniunt. Primùm, quam in Ovidio culpam reprehendit, communis eſt illi cum Horatio; qui od. II. invectam ab eluvione rerum perturbationem ſignavit, genere piſcium acto in ulmum, *nota quæ ſedes fuerat columbis.* quod perinde videtur, ac *nat lupus inter oves.* Certè quod arguit de natatu Seneca; (*natari autem in diluvio, & in illa rapina poteſt? aut non eodem impetu pecus omne, quo raptum erat, merſum eſt?*) cadit in hæc Horatiana: *& ſuperjecto pavidæ na-*

tarunt æquore damæ. Miror deinde in cenſura præteritum hemiſtichium; *deerant quoque littora ponto.* Et quidem melius circa ſtructuram cenſuerit acer inſpector; *deerant & littora.* At omnino ſupervacaneum quis negarit dictum, littora ponto defuiſſe, cum *omnia pontus erat*? Naſonis utar ipſius autoritate; qui, ut eſt in l. VIII. Controverſ. ſuprà laudatarum, ſolebat dicere de his Varronis verſibus;

Deſierant latrare canes, urbeſque ſilebant:
Omnia noctis erant placidâ compoſta quiete;

potuiſſe fieri longè meliores, ſi ſecundi verſus ultima pars abſcinderetur, & ſic deſineret; Omnia noctis erant. Denique in cenſorem ipſum, quâ Naſonem affecit, nota recidit; Fabio ſi credimus, his, præter alia multa, Senecam philoſophum, oratorem, poëtam configenti. *Velles eum ſuo ingenio dixiſſe, alieno judicio. nam ſi aliqua contempſiſſet, ſi parum concupiſſet, ſi non omnia ſua amaſſet, ſi rerum pondera minutiſſimis ſententiis non fregiſſet; conſenſu potiùs eruditorum, quàm puerorum amore comprobaretur.* Ac jure vituperatio Montani ſuperior cum eo communicetur; atque illud Carbonis, à Tullio relatum, eidem accommodetur; *Patris dictum ſapiens*, corrupta ſcriptio *filii comprobavit.* Sanè luxuries illa paſſim extat in Tragœdiis, quæ Senecæ tribuuntur. In ipſo Oedipi introitu quæ verborum ac ſenſuum congeminatio, non ex arte, ſed ex intemperantia!

Jam nocte pulſa dubius effulſit dies,
Et nube mœſtum ſquallida exoritur jubar,
Lumen que flammâ triſte luctiferâ gerens
Jam cernet avidâ peſte ſolatas domos,
Stragémque, quam nox fecit, oſtendet dies.

Hic *nox* & *dies* iteratur: aggeruntur ſynonima; *jubar; lumen, flamma; effulſit, exoritur; triſte, mœſtum,*

luctifera. Potuiſſet breviter, & congruentiùs attonito dolentique animo dicere Oedipus:
Jam nube mœſtâ ſquallidum exoritur jubar; vel
Jam nube dubium ſquallida emergit jubar; (nam, *effulſit*, nimium eſt de nubila dubiaque luce)
Stragemque quam nox fecit, oſtendet dies.

[l] Menarderius, Academicus, idemque Regius Anagnoſtes, ſive Sacri Cubiculi Lector, in doctiſſima elegantiſſimaque ſua Poëtica rectè in eâdem Tragœdiâ prolixitatem inconſideratam culpavit Creonteæ narrationis à ſupervacua importunaque deſcriptione cœptæ, in re præſertim urgente & luctuoſa.

Eſt procul ab urbe lucus ilicibus niger
Dircæa circa vallis irriguæ loca.
Cupreſſus altis exerens ſilvis caput
Virente ſemper alligat trunco nemus;
Curvoſque tendit quercus, & putres ſitu
Annoſa ramos: hujus abrupit latus
Edax vetuſtas. Silva jam feſſâ cadens
Radice, fulta pendet alienâ trabe &c.

Eſto, Claudianus in II. de Raptu Proſerp. amœnum verſibus aliquot nemus deſcribat.

Apta fretis abies, bellis accommoda cornus,
Quercus amica Jovi, tumulos tectura cupreſſus,
Ilex plena favis, venturi præſcia laurus.
Fluctuat hic denſo criſpata cacumine buxus;
Hic ederæ ſerpunt; hic pampinus induit ulmos.

Læta hæc, in otio & deliciis, poëtæ per ſe loquentis deſcriptio: ſed quantò brevior illâ Senecæâ, quam inſtituit perſona, cui *vultus ipſe flebiles præfert notas*; eâque dicit, *tacere quæ ſuadet metus!* At Virgilius, etiam Claudiano contractior.

Itur in antiquam ſilvam, ſtabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ &c. VI. Æneid.

& IX. *Silva fuit latè dumis atque ilice nigrâ*

Horrida, quam denſi complerant undique ſentes;
Rara per occultos ducebat ſemita calles.

Quid alias Tragœdiarum congregem exaggeratas ambitioſè narrationes, obſervationes præter decorum eruditas, immiſſas alieno loco ſententias, motibus ardentiſſimis aſperſas intruſaſque ſimilitudines? quæ omnia manare à ſedato pectore ſoleant, & frigeant ſcilicet oſtentato animorum incendio.

Sed, quoniam in tragica incidimus, appoſitè quæratur, Tragœdiæ quid aſſignemus temporis, quóve ab Epopœia diſcrimine in hac parte ſecernamus. Hoc breve dicam; magnitudini tragicæ terminum ab Ariſtotele generatim præfinitum, qui ſufficiat peripetiæ, ſive unius fortunæ in alteram commutationi. additque de pulchritudinis, ob magnitudinem, præſtantiâ ſententiam & ſimilitudinem, quam ſuprà attigimus. Verùm explicatiùs c. v. Poëtic. tempus materiæ theatralis una circiter converſione ſolis circumſcribit; epicam actionem certo definitoque ſpatio non coercet. Carminum verò copiam Epopœiæ multò majorem, quàm Tragœdiæ, convenire docet; unumque ex omnibus heroïcum metrum, utpote quod & firmitatem habeat & granditatem, aptum eſſe imitationi, quæ longâ narratione ſit conſtituta. De tempore autem ipſius actionis, Epico poëmati ſubjectæ, (quod tempus liberum, uti eſt obſervatum modò, reliquit Philoſophus) quantum fuerit ab Heroïcis poëtis uſurpatum, contraria ſentire eos neceſſe eſt, quos circa narrationis epicæ ordinem inter ſe diſcrepantes jampridem audivimus; Æneidi ſeptennium alios, alios annum concedere, vel integrum, vel dimidiatum, aptam videlicet rebus agendis tempeſtatem. Quæ tamen poſterior ſententia actionem ſpectat: epi-

ſodiis annos, quot actroni prior illa ſententia tribuit, minimè recuſabit. Libens volenſque, ſi vacaret, Ariſtotelicam Epopœiæ Tragœdiæque contentionem expendam: *verùm hæc ipſe equidem, ſpatiis excluſus iniquis, prætereo.*

Iam, ut quod inſtat, agam, Epopœiæ quamvis contractæ, ſeu poëmatiis heroo perſcriptis numero, major quàm ceteris amplitudo congruit. Horatianas pleraſque videmus odas breves; Pindaricæ quædam ad paginas extenduntur ſedecim. Elegiæ Ovidii nonnullæ oppidò longæ, ut quæ ſecundum una librum Triſtium conſtituit: aliæ quæpiam ita ſtrictæ apud Propertium, ut modum epigrammatis non excedant.

Hac demum poëmatis in ſpecie, in epigrammate, brevitas regnat. & unico interdum verſu epigramma ſtat. ſed totam hujuſce carminis diſciplinam Vavaſſor, à me ſuprà laudatus, tam ſcitè politeque & ſolutæ orationis volumine tradidit, & libris epigrammatum tribus illuſtravit, ut admirationi ſolum gratulationique locum reliquerit. Vnde præclarum concinnæ brevitatis exemplum accipe in obitum Regiæ Puellulæ, ab eodem vate priùs cantatæ,

Cur nimium infantem, vates, canis? audiet æther.
Audiit: invidit: rapta puella fuit.

Advertit ſcriptor hic ſagaciſſimus arguta quædam in aliis poëmatum formis, epigrammatum inſtar obtinentia. Cujuſmodi forſitan æſtimes iſtud ex Horatii Coclitis elogio,

Qui ſibi, qui patriæ innumero proſpexit ab hoſte,
Cocles an Argus erat? &c.

Sed plura in unam eandemque rem diſticha peropportunè huc venient, anno ſuperiore honeſti eruditique viri invitatu curſim à me exarata. Argumentum eſt Lupara, cujus ad inſcriptionem unum

præciſè diſtichon poëtis indicebatur. Eſt autem uſus epigrammatis primus in ſtatuarum, omniſque generis monumentorum inſcriptione; ſive ipſum veriùs, ut nomen ſonat, inſcriptio eſt. Tale illud Phaëtontis ſepulcro ab Ovidianis Najadibus inſcriptum.

Hic ſitus eſt Phaëton, currûs auriga paterni;
Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

Tale & illud à Virgilianis paſtoribus in Daphnidis tumulo ſignandum.

Daphnis ego in ſilvis, hinc uſque ad ſidera notus,
Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.

Quæ tamen Epitaphia ſanè brevia, breviora fecit Voſſius, Inſtit. Poët. l. III. c. XXI. de Epitaphio: ubi titulo præpoſito; *Interdum & uno conſtabat verſu*; gemina hæc affert exempla, decurtata ambo & dimidiata, priori tantùm utriuſque carmine poſito. mox titulum de diſticho, generiſque iſtius exempla ſubdit fideliori memoriâ; quam profectò mirum eſt celeberrimis duobus ſimul in locis defeciſſe. At hoc verè monoſtichon;

Æneas hæc de Danais victoribus arma.

quod carmen Vavaſſori, acerrimo judici, *pluris eſt cùm ſententiæ gravitate & pondere, tum vi dictionis ac poteſtate, quàm decem numero continui verſus, ex eodem ſcriptore undecunque & exquiſito delectu collecti.* Nunc inſcriptiones Luparæas, tironibus forſitan haud inutiles, copiæ gratiâ & varietatis, regali certè magnificentiæ debita præconia, exhibeamus.

I.

Hoc opus, hæc Magni Sedes LODOICIS, Olympo
Proxima: nec Dominum Regia tanta capit.

II.

Æternum hoc LODOICIS opus, par Regia Cœlo.
Hanc Themis, hanc Mavors, Gloria Paxque colunt.

III.

III.

Æquavit Magnus Luparam LODOICVS *Olympo:*
Laudibus implevit Solis utramque domum.
(*impleſti meritis Solis utramque domum.* Herc. Dejan. Ovid.)

IV.

Maximus Heroum LODOIX, *quam condidit Aulam,*
Majeſtate ornat, Terror & Orbis Amor.

V.

Hic Regni Solium; hic Martis Paciſque poteſtas:
Hic, LODOICE, *tibi parta labore quies.*

VI.

Quam colat æternam Pax & Victoria ſedem,
Auguſtam LODOIX *egit ad aſtra Domum.*

VII.

Digna Triumphali Domino Domus, Orbis Aſylum.
Hoſtibus hinc Terror, Civibus ibit Amor.

VIII.

Qui toties armis inimicas eruit arces,
Hoc ſtatuit LODOIX *nobile Pacis opus.*

IX.

Condidit hanc operis molem LODOICVS, *& alter*
Et major Franci Conditor Imperii.

X.

Poſt Belli Paciſque operum decora ardua, mirum
Gentibus & ſeclis hoc LODOICVS *opus.*

XI.

Addidit Hæc MAGNVS LODOIX *Miracula*
Mundo.

In Regium Ædilem.

Quæ Belli nervum, Pacis decora ampla miniſtrat,
Subſtruit auguſta dextera molis opus.

Theronis, ut Cycni, dulciſſimè canendo immortui, adhuc reſonat vox; & ſpectantur inſcriptiones multæ, paucorum verſuum, om-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

nes laudatæ; ſed illa maximè, quæ baſi Pariſienſis monumenti, ſtatuæ equeſtris Ludovici Iuſti, ſemper-auguſti, ſemper-triumphantis, inciſa, regio perenníque æri velut animam addidit. Ita ſummorum laudes hominum operumque in compendium vocantur; & quorum dignitati virorum nulla reſpondeat carminis amplitudo, eos feſtiva nonnunquam capit exiguitas. Sed nimirum ſuus cuique in dicendo virtuti locus eſt; atque aliàs preſsè, aliàs latè idem narratur. Peſtem fusè expoſuit Maro ad calcem III. Georg. ubi de morbis agere animalium inſtituit. at reſtrictè III. Æneid. ineptéque feciſſet, in ea parte ſi hæſiſſet diutiùs, cum Ænean induxiſſet Carthaginenſi Reginæ ſuos caſus laboreſque ſeptennes commemorantem. in tanta rerum ſilva, productæque narrationis neceſſitate, peſtilentia breviſſimè tangenda fuit, & ſignificanda magis quàm explicanda.

Subitò cum tabida membris,
Corrupto cœli tractu, miſerandaque venit
Arboribuſque ſatiſque lues, & letifer annus.

Hæc quidem ſatis eſſe poterant ad rem enunciandam: ſed ad explanationem & commiſerationis ſenſum addidit:

Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora. tum ſteriles exurere Sirius agros:
Arebant herbæ, & victum ſeges ægra negabat.

Si profuſio vitioſa exiſtimatur; parſimonia quoque, illiberalis & ſordida rejiciatur. *Non inornata debet eſſe brevitas*, ait Quintilianus: *alioqui ſit indocta. nam & fallit voluptas; & minùs longa quæ delectant, videntur. Ut amœnum ac molle iter, etiam ſi eſt ſpatii amplioris, minùs fatigat quàm durum arduumque compendium.* Appoſitè in hanc rem ſcribit ad Tacitum Plinius. *ut aliæ bonæ res, ita bonus liber melior eſt quiſque, quò major. Vides,*

ut ſtatuas, ſigna, picturas, hominum denique multorumque animalium formas, arborum etiam, ſi modò ſint decoræ, nihil magis quàm amplitudo commendet? idem orationibus evenit. quin etiam voluminibus ipſis autoritatem quandam & pulchritudinem adjicit magnitudo. Proximè de Tullio dixerat, id quod Tullius olim de Demoſthene, orationem ipſius eam optimam haberi, quæ eſſet maxima. Poëmatum eadem ratio eſt: quibus etſi pretium ſæpe ipſa tenuitas facit, ut gemmis *in arctum coacta rerum naturæ majeſtas*, ex alterius dicto Plinii; facile tamen præſtantiora agnoſcas opuſculis opera, ubi ſe majeſtas artis explicat.

Nunc, juniorem ut Plinium revocem illum, quem, cum avunculo, brevitatis amatorem & magiſtrum aliqui prædicant: poſt varia in longitudinis commendationem argumenta, ſic agitatam quæſtionem abſolvit. *Optimus tamen modus eſt, quis negat? ſed non minùs non ſervat modum, qui infra rem, quàm qui ſupra; qui adſtrictiùs, quàm qui effuſiùs dicit. Itaque quod audis frequenter, ut illud immodicè & redundanter, ita hoc jejunè & infirmè. Alius exceſſiſſe materiam, alius dicitur non impleſſe. Æquè uterque; ſed ille imbecillitate, hic viribus peccat.* Non temere igitur exigenda brevitas eſt, præſertim ab adoleſcentibus, quorum ætati calorique indulgendum eſt; nec venia modò redundantiæ, ſed etiam laus tribuenda. Quam in ſententiam reſponſum à me quondam memini ad epiſtolam Bomerii panegyricam, officioſi ſplendidíque vatis, & oratoris, pari utriuſque linguæ facultate, ac pietatis ingeniíque famâ celebrati.

Cenſor & ipſe ſui, gravior jam Tullius ævo,
Ferventem memorat juvenili flumine Suadam
Exundaſſe priùs, circumplaudente coronâ.
Atque idem: ſua quæque ætas diſcrimina ſervet;

Nec vanæ offendant, ſi quas tironibus effert
Ubere lætus ager, ſtudiis florentibus herbæ.
Spes, ait, hæc frugis. nimirum optanda juuentæ
Larga ſeges, triſtem non defectura ſenectam.
Fertilis ingenii paulatim carpitur annis
Prodiga luxuries. Sic & primæva Maroni,
Quæ fato in Culicis laſcivia luſerat, hæſit
Limitibus certis, luxumque recidit inanem &c.

Ipſa tamen illa juvenilis redundantia, ut de ſe teſtatur in Oratore Cicero, multa habuit attenuata: & quod mirum videatur, ſenilis & cana jam oratio, nonnihil habet profuſum, vel eo ipſo loco, ubi narrat, in libro de Claris Oratoribus, ſe non modò exercitatum à Molone, ſed propè mutatum. *Is dedit operam (ſi modò id conſequi potuit) ut nimis redundantes nos, & ſuperfluentes juvenili quadam dicendi impunitate & licentia reprimeret, & quaſi extra ripas diffluentes coerceret.* Quid Virgilius? occurrit etiam in Æneide pleonaſmus, & periſſologia.

Quem ſi fata virum ſervant; ſi veſcitur aurâ
Ætheriâ, nec adhuc crudelibus occubat umbris.

& ſimilia non pauca, acervatim frequentata.

Quare huc tandem omnis ratio poëticæ brevitatis eſt revocanda; nihil ut diſſolutum ſit, vel altiùs deductum, vel faſtidiosè repetitum, vel ambitiosè conquiſitum: at nihil itidem mancum aut delumbatum, ſive in ſententiis, ſive in verbis. Actionis magnitudo, copiaque carminum temperetur ſic, ut oculos impleat, non fugiat: epiſodia intexantur, quaſi apta corpori membra, non monſtrosè excreſcentia: digreſſio ſi qua adhibetur, digreſſio ſit, non aberratio. Nihil inane admiſceatur, néve à poëticis virtutibus quidquam alienum, quóve detracto, aut dignitati poëſeos, aut utilitati, aut oblectationi pars nulla detrahatur. Ne li-

centiùs vena profluat; nec verò hæreat, tanquam per ſiccas arenas laborans, & vadis quibuſdam intercepta. Liber non mole ſpectetur, at mente: carmina ponderentur, non numerentur. Iam temporis, loci, perſonarum, ſeu loquentium, ſive audientium, habendam in morâ dicendi rationem annotavimus l. 1. cùm ageretur de Chriſtiados conſtitutione; aliáque circa brevitatem obſervavimus in dotibus proœmii. Poſtremùm ex Martialis dicto, reputetur longius eſſe diſtichon vitioſum peramplo, ſed limato, poëmate.

Cui tamen concluſioni facere non poſſum quin locum attexam ex altero libro de Oratore inſignem, quo & narrationis forma Terentianæ proponitur, & hæc de brevitate diſputatio cum proximâ de ſuavitate aptiſſimè committatur. *Si tum eſt brevitas, cùm tantum verborum eſt, quantum neceſſe eſt; aliquando id opus eſt; ſed ſæpe obeſt vel maximè in narrando; non ſolùm quòd obſcuritatem affert, ſed etiam quòd eam virtutem, quæ narrationis eſt maxima, ut jucunda & ad perſuadendum accommodata ſit, tollit. videlicet illa,*

Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis,

quàm longa eſt narratio! mores adoleſcentis ipſius, & ſervilis percunctatio . . . reliqua pervariè jucundéque narrantur. Quod ſi hanc brevitatem quæſiſſet;

Effertur, imus, ad ſepulcrum venimus;

In ignem poſita eſt. *in his ferè decem verſiculis totum conficere potuiſſet. quanquam hoc ipſum, Effertur, imus, concijum eſt ita, ut non brevitati ſervitum ſit, ſed magis venuſtati. Quòd ſi nihil fuiſſet, niſi, In ignem poſita eſt; tamen res tota cognoſci facilè potuiſſet: ſed & feſtivitatem habet narratio diſtincta perſonis, & interpuncta ſermonibus; & eſt probabilius, quod geſtum eſſe dicas, cùm*

quemadmodum actum ſit, exponas; & multò apertius ad intelligendum eſt, ſi ſic aliquando conſiſtitur, ac non iſtâ brevitate peritu ritur.

S V A V I T A S.

EX iis, quæ modò ad calcem diſputationis de brevitate diximus, quæque ſuprà de perſpicuitate, conficitur, antiquiorem fuiſſe priſcis ac peritiſſimis quibuſque ſcriptoribus, & potiorem utraque iſta virtute ſuavitatem. Sed quoniam eâ, quæ mox tractabitur, dictione fontes hujuſce laudis continentur; ideò tantùm hîc admonebo, tametſi propria generis eſſe temperati videatur ſuavitas, ad ipſum etiam grave & ſublime genus pertinere: cùm ſuavem in expoſitionem Cicero conferat *admirationes, expectationes, exitus inopinatos, motus animorum, colloquia perſonarum, dolores, iracundias, metus*, &c. En acres affectus, & dolores in parte ſuavitatis; quâ de re multa in Materia Poëmatis. Suavitas autem eadem cum elegantia intelligitur, omníque poëticæ narrationis ornamento.

Dividam tamen, & ſegregabo nunc, afferendis narrationum exemplis, ab heroica excelſitate ſuavitatem; addicámque ordini medio, & generi, in quo maximè conſidet, picto & illuminato, quale à Tullio deſcribitur. atque ab ipſomet ſumam argumentum Cicerone, vel potiùs à Xenophonte, unde Tullius eſt mutuatus, ſuaviſſimum, & Georgici carminis formulâ ſtiloque exſcribendum.

Is igitur, qui *Apis Attica* eſt appellatus; & verò, *cujus ſermo eſt melle dulcior* (ut ait in Oratore Tullius;) refert in Oeconomico, Cyrum minorem, regem Perſarum, præſtantem ingenio atque imperii gloria, cùm Lyſander Lacedæmonius, vir ſummæ virtutis, veniſſet ad eum Sardes,

eíque dona à ſociis attuliſſet ; & ceteris in rebus comem erga Lyſandrum, atque humanum fuiſſe, & ei quendam conſeptum agrum diligenter conſitum oſtendiſſe. Cùm autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam atque puram, & ſuavitatem odorum, qui efflarentur è floribus : tum eum dixiſſe ; mirari ſe non modò diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, à quo eſſent illa dimenſa atque deſcripta : & ei Cyrum reſpondiſſe : atqui ego iſta ſum dimenſus ; mei ſunt ordines, mea deſcriptio ; multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ. Tum Lyſandrum intuentem ejus purpuram, & nitorem corporis, ornatumque Perſicum multo auro multiſque gemmis, dixiſſe : rectè verò te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt.

Hæc ego Xenophontea, Tullianis verbis in Catone ſeu libro de Senectute expreſſa, commemoravi ; quibus vix quidpiam apud ipſum Tullium, hoc eſt, uſquam in Latinis monumentis, elegantius ſuaviuſque narratum invenias. Quo autem pacto reddi poëticè queant, aliquando tentavi. utinam ne ſuavitatem iſtam carmine corruperim, ſive oratoriam Ciceronis, ſive hiſtoricam Xenophontis, cujus *voce Muſas quaſi locutas ferunt*, eodem teſte Cicerone.

NARRATIO FESTIVA,

ſive in temperato genere.

REX AGRICOLA.

CECROPIDÆ referam mellitis prodita chartis,
Spartano quæ mira du i ſpectacula pandit
Cyrus, Achæmeniæ regnator ſplendidus aulæ,

Regibus inſueta florens idem arte colonus.
Mollis agri conſepta, & amœno conſita cultu,
Læta renidebat facies, glebâque ſubactâ
Pura nitebat humus: ſimul omnis copia Floræ
Suavibus areolis miſtos afflabat odores.
Pulchro in quincuncem directos ordine verſus
Proceri nemoris, ſatebriſque micantia culta
Cernere erat; cuncta ingenio luſtrata Laconi.
Hîc gnavam laudare manum fortiſſimus hoſtes,
Et curam ignoti pariter cultoris & artem,
Quæ ſpatiis dimenſa ſolum, picto imperet arvo.
At Cyrus: mea regna vides, operumque labores.
Cuncta mihi deſcripta: meâ nemus arte, meiſque
Digeſtum ordinibus; per me ſecta area florum;
Irriguis per me ſpirant violaria lymphis.
Multa etiam ſilvâ ex iſtâ, quam ſuſpicis, arbos
Hac ſata rite manu ſuperas ſe tollit ad auras.
Tum ſtupefacta Lacon defixus lumina Cyro,
Regalem ornatum, & quem Perſica gaza nitorem
Corporis auguſti gemmis acuebat & auro,
Contemplatur, & attonito ſic ore profatur:
O te purpureo felicia rura colono!
Sceptriferæ inſolitum dextræ agnovere laborem.
Vt te felicem non mendax fama locuta eſt,
Submiſſique ferunt populi, quando addita regnat
Virtuti Fortuna comes! nec terra recuſat
Imperium; nec, Cyre, tuas Bactra ultima leges:
Ac ſtudiis ut non-inglorià cura feracem
Ornat humum: famulem tractat ſolertia gentem,
Regnaque frugifero exercens beat aurea cultu.
Principis agricolæ ludens induſtria laudem
Sic tulit. haud aliàs, divino agitata Maroni,
Clarior enituit formoſi gloria ruris.

Narratio hæc venuſtatem habet, in Xenophontis quidem & Ciceronis libris: quæ ſequitur, plus ab argumento certè obtinet dignitatis; nec verâ ca-

rebit forſitan & ſolidâ ſuavitate. exponit autem pugnam acerrimam, & ſumma contentione gloriaque pugnatam à Poloniæ Magno tunc Polemarcho, nunc Rege invictiſſimo, Ioanne Sobieskio;

Cæſum acie Turcam, caligantemque vetuſtis
Cornibus, & multo ſqualentem ſanguine Lunam.

HEROICA NARRATIO,
ſive in genere gravi.

VICTORIA CHOCIMENSIS.

IAm poëmatis hujus principium varias inter procœmii formas adductum fuit; ubi connexus regio funeri triumphus admirationem illicò movet:

Quæ nova Sarmaticæ rerum conſortia genti! &c. quâ ſignificatione admirationis præmiſsâ, Poloniâque ad luctum & ſqualorem cum gratulatione cultuque triumphali commutandum invitatâ, prælii celeberrimi locus primùm deſcribitur breviter; ſed multis, eò pertinentibus, in epinicii proceſſu ex occaſione ſparſim annotatis.

Ardua Chocimi Dacis quà finibus adſtat
Arx impoſta jugo, ſubterlabentibus undis;
Hîc, ſecurus agens, validis tentoria caſtris
Fixerat Huſſeinus; turritumque agmine collem
Ottomano inſidens, campumque amnemq; tenebat.
Hæc & Lethæo præſtantes robore turmas
Litthviæ adjunctis rapuit Sobieskius armis;
Tutari patrios fines, ac vincla minantem
Strenuus immanem ferro prohibere tyrannum.

Tum crebræ inter finitimos exercitus juſti certaminis proluſiones, conſultatióque Polonorum, quid porrò agendum, Turcis caſtra foventibus. Oratione obliquâ rationes coacervantur & pericula, quæ valeant ad deterrendum ab hoſtium

oppugnatione, tum ob vires longè impares, tum ob iniquitatem loci, ſuâ ſponte inſuperabilis & propè inacceſſi: quæ tamen caſtta Turcarum improbus & immenſus labor, omni arte & induſtriâ, omni armorum genere, inſtar urbis munitiſſimæ, inſtruxerat.

Atque hinc fœda palus, vepreto hinc aſpera ſæpes,
Vallorumque rigens & non penetrabile textum.
Hinc atque hinc abrupti aditus: & turbidus alto
Amne Tyras, vallidum geminâ pontem obſitus arce,
Et creber rapido prælabitur agmine torrens.
Nil tamen objectâ ſpecie, immaniſque pericli
Concuſſus terrore, animos ſuper æthera tollit
Lechiadûm invictus Ductor. perfringere caſtra,
Turcarumque moras ardet reſcindere ferro.
Acrior ut peragat, forti quæ maxima volvit
Pectore conſilia, & cœptis audacibus inſtet,
Cœleſti monitu formâque accenſus amicâ eſt.

Quæ deinceps narrantur de Sobieskio, ſtrenui ſunt ducis partes, quas egregiè implevit & cumulatè. *Quippe ille vigilias obire, ſtationes ordinare, tormentorum bellicorum apparatum præſens inſpicere* &c. ut eſt in Diplomate Electionis Regiæ. Inſidebant Herois animo ſpecies Patriæ, Religionis, Divorum Poloniæ Tutelarium: unde opportunitas fingendi rerum mente conceptarum ſimulacra, perſonaſque poëticas. Ergo illi Polonia ſe ſe offert habitu, qui gentis inſignia, teli genus adhuc Polonis uſitatum, regnique præſentem conditionem referat.

Nocturnam ſua Magnus obit dum caſtra per umbrã;
Ecce viro effulgens armis occurrit Amazon,
Cui galeam auratam paſſis aquila inſidet alis;
Sed tamen evulsâ pennarum parte, ſuperbum
Viſa ferox, irâque minax ſpirare dolorem;
Exertos acuens, haud fulminis immemor, ungues.

Haſtam dextra gerit; turbatam nubila frontem
Contriſtant: generoſo animus tamen emicat ore:
Nec, quæ multa notat vultus, inhoneſta cicatrix;
Et laceræ chlamydis nodus collegerat oras.
Tum Patriæ ſic nota Ducem compellat imago.
* * * * * * *

—— *Campum hunc nobis Victoria dudum*
Sacravit: cæſæ hîc terram ſtravere Polonis
Odryſiorum acies; Oſmannus & ipſe ſuperbis
Ingemuit cecidiſſe auſis, fractuſque refugit.
Perge, ô, tanta ſequi divinæ pignora ſortis,
Fatalemque novo campum inſignire trophæo.
* * * * * *

Surge age & ipſe tuos primi ſub luminis ortum
Ad palmam prædamque voca. quin aſpice, ut aſtris
Relligio delapſa, ſacro comitante maniplo,
Ducit opem, totaque favens tibi militat æthra?
Excipit allabens propiùs Regina ſacrorum,
Fimbria quam pictâ circumfluit aurea pallâ:
Numinis auguſto radiatam nomine frontem
Infula, tergeminoque tiaras orbe coronat.
Turicremam non jam illa manu ſuſpendit acerram;
Sed Conſtantiadæ Magno quam candidus æther
Purpurea ſub nube crucem, victricibus armis
Fatale extulerat ſignum, jam luce rubentem
Oſtentat: ſimul hæc Heroida voce ſecuta eſt.
Imò ego, cui fortem verſas in prælia dextram,
Maxime Lechiadûm & Superis gratiſſime Ductor,
Omnia fauſta dabo, celebreſque ex hoſte triumphos.
* * * * * * *

En, ait, & cœli caſtris deſcendere apertis
Fulmineas, en, cerne acies. Tum nube verendas
Diffuſâ facies aperit, palmare Polonis
Subſidium, cladem Ottomanis. Sobieskius ora
Suſpiciens divina, pio præcordia motu
Intremuit: novus inde animos Ducis excitat ardor.

Affuſæ indicium luci vocale magiſtra
Subjicit; oblatoſque viro dat noſſe faventum
Auguſtos Superûm vultus, atque ordine pandit.
Ille, vides? qui ſidereis Antiſtes ab oris
Agmen agit &c.
Prima ſed optatæ veniat fiducia palmæ,
Indigetis tutela potens & amabile Koſtkæ
Præſidium.

B. Staniſlaus Koſtka, Poloniæ Lithuaniæque Patronus præcipuus à Pontifice declaratus: & altera, cujus in Poloniæ oratione facta mentio eſt, ad Chocimum ante tres & quinquaginta annos relata de Turcis à Principe Ladiſlao victoria, cœleſtis hujuſce Vindicis præſidio parta fuerat, teſtibus etiam regiis litteris, aliiſque publicis monumentis. quod auxilium divinitus præbitum, & mirifica viſione declaratum, pictuiáque in Poloniæ templis expreſſum, brevi ſubjungetur. Ac poſteriorem hanc lauream Sobieskius eidem ſenſit debitam, cujus fauſtum inclytumque nomen Chriſtianis copiis in prælii ſignum ediderat: cúmque primarium exercitûs barbari vexillum, in Candiæ obſidione ſpectatum, Chocimenſi pugnâ captum, Romam, Vaticano templo appendendum, Pontifici per nobiles nuncios miſiſſet; eos ad ſacrum Beati Koſtkæ ſepulcrum ob victoriam legitimâ perfungi gratulatione juſſit. De hoc igitur expertæ poteſtatis & beneficentiæ Patrono, cujus alias laudes eximiaſque virtutes primo Parthenicon libro conſignavimus, ad Polemarchum pergit Religio dicere.

Auſpice quid tanto metuas immania caſtra?
Jamque inſtat ſacrata dies, quâ publica geſtit
Sarmatiæ pietas, carumque ornare laborat
Indigetem; & ſupero Tellus conſpirat Olympo,
Feſta triumphalis renovans ſollennia pompæ.

Ac tua demeruit largis ſpectata Patronum
Muneribus pietas, blando quem fovit amore
Diva Parens; cæli voluit clareſcere donis
Omnipotens Genitor, per tot miracula rerum
Aſſiduè Koſtkam oſtentans &c.
Huſſeini ſollennem intra conopea reddes
Victor ovans pæana Deo: prætoria ad alta
Gaudebis, Baſſæque opulenta in ſede profani
Magnificas peragi grates, ſacriſque litari.
Æterno recolent populi decora iſta triumpho.
His dictis, nubem in nitidam ſe ſe ipſa ſuumque
Collegit comitatum; & ſulcum lumine duxit,
Rectam in caſtra viam ſignans rutilo hoſtica tractu.
Emicat hîc Superos venerans Sobieskius; & quà
Lucet iter, necdum exorto Titane ſecutus,
Ipſe pedes caſtrorum habitum vallumque minaſque
Explorat; quid Turcæ agitent; quâ parte Polonis
Opportuni aditus caſtris; cuncta ordine luſtrat.
Præcipites quantum in foſſas cava terra dehiſcit,
Horrifico ſe aperit barathro; tantum aggere creſcit
Perpetuo, ſolidoſque refert altè edita muros.
Nec Turcas ſegnis preſſit ſopor: aggere ſummo
Stant circum armati, & crebrũ vallo excubat agmen.
Denſa coronabat caſtrenſes machina gyros.
Talia ubi certo jam cominus omnia viſu
Obſervata Duci; jam ſe ſe ardentior ipſâ
Terroris facie ſtimulatque, animiſque pericla
Digna ſuis, paria heroæ molimina gaudet
Virtuti, ac ſummæ ſegetem conſurgere laudis.
Koſtkæ infixa viget penitus fiducia cordi.
Præſidii ſubit illa animum cæleſtis imago,
Quæ denis prior extulerat ſe ſe inclyta luſtris,
Corripiens lectas mira ad ſpectacula mentes,
Purgatoſque oculos, & neſcia fallere corda.
Viſus ab occaſu procurrere ſolis ad ortum,
Luce viam ſignans currus. ſedet aurea Virgo

Sidereo ſuper axe, Deumque amplexa puellum,
Totaque, purpureo ceu ſole induta, coruſcat;
Undique candenti radios jaculatur Olympo.
Reginæ ante pedes affuſâ luce refulget
Dilectus juvenis, nitidoque ſimillimus aſtro.
Iſque habitu ſupplex, almam captare Parentem,
Præpete quam ſequitur Dominam Victoria curru,
Nube videbatur volitans per aperta curuli.
Barbariæ ſuprema inter diſcrimina pugnæ
Dulcem oſtendebat patriam, defenſor ab alto
Ipſe potens, majuſque addens in prælia numen.
Nec dubius, referat paribus quin æqua periclis
Auxilia, hunc animo ſpectat, præque omnibus unum
Implorat ſimul ipſe, ſimul conſulta, vocare
Imperat obnixis Sobieſkius agmina votis.
Præcipuè concepta duces fiducia in omnes
Dividitur: certi ſtat Tutelaris amico
Terribilem auſpicio, mora nulla, capeſſere pugnam,
Turmis & Koſtkæ ſacrum data teſſera nomen.
Ærea Sarmaticis mox undique cornua caſtris,
Tympanaque inſtantem concentu edicere pugnam.
Ilicet et pugnæ accinctos Dux fortibus acer
Exacuit dictis. Hîc Religionis amantes,
Hîc Patriæ decoriſque animos ciet. obvia præda
Monſtratur: queis caſtra viis ſuperanda, quibúſque
Auſpiciis; facili Superûm ſterni ardua nutu.
Virtuti latè inſanas ſubſidere moles
Senſuros, foſſaſque æquari ſtragis acervo. &c.
Sic animos poſtquam validis hortatibus Heros
Implevit; nudo flammatus acinace primam
Evolat ante aciem; & peditem pedes ipſe ſub ora
Turcarum, foſſaſque & propugnacula ſiſtit.
* * * * * *

Ut tonitru horrendo, ac piceo torrente ruinam
Edere caſtrorum, & vallum cœpere curules
Sternere bombardæ; ſimul & conferta nitrato

Pulvere miſſilia, & ferro plumboque gravata,
Innumeras Threſſam in turbam diſpergere mortes:
Exemplo adnixi, atque animis ſua tela ſecuti
Sauromatæ irrumpunt, turrita evincere caſtra
Certantes, ferroque omnes reſerare latebras.
Nec verò interea reſides ignavia Thracas
Detinet; aut ſolo propugnant aggere caſtra:
Præſens adverſo reſpondet pectore robur.
Ære graves ſolido, quæ Turcas plurima obarmant,
Congeminant tormenta globos: furit aëre toto
Ferrei tempeſtas, plumboque ignique remiſta.
Confuſæ ſaxis frameæ, grandeſque ſagittis;
Scilicet & cœlo terras confundere viſus
Armorum fragor, & rauca inter claſſica vaſto
Cornipedum immixti fremitus clamore virorum.
Signa movent: nuſquam requies: necdū aſpera confert
Pugna manus, mediæque arcent diſcrimina foſſæ.
Bis valido aſſultu Turcas petiere Poloni;
Bis Turcæ aſſultus vallo repulere Polonos.
(Stat ſupèr, aëriis ſurgens par montibus, agger:
Lubrica ſuſpenſis fallit veſtigia plantis
Infrà putris humus, vaſtaque voragine circùm
Vndique reſtagnat foſſarum immanis hiatus.)
Statis? ait, ferro, ore, manu Sobieskius ardens.
Grandibus hic limes cœptis? hæc Lechica virtus,
O ſocii, patriæ vindex, vindexque ſacrorum?
Nec retuliſſe pedem pudor eſt? Ite, auſpice Chriſto,
Cœleſtis cauſæ memores: duce Numine freti
Ite, agite, invictis certi ruite omnia dextris.
Non patriæ, non jam ſuprema pericula tangant:
Chriſticolas Chriſtus moveat, calcandaque Turcis
Relligio. Tantùm hæc Ductor medio acer in æſtu
Increpitans: nec fruſtra. animis vox omnibus una
Sufficit, Chriſtique incendit pectora nomen.
Continuò Chriſtus, calefacta per agmina, Chriſtus
Volvitur; ora, animos Chriſtus nec ſpe implet inani.

Nam ſimul intrevere animi ; ſimul æthere amico
Aucta ſecurigeras intendunt robora dextras :
Tertius & Turcarum obices perrumpere tandem
Impetus evaluit, caſtriſque immiſit apertis.
Huſſarti, natæ bellorum ad dura cohortes,
Multâ emolitæ vi barbara caſtra revellunt.
Protinus incurrit, quà porta effracta, Polonus
Victor ; & attonitos hoſtes agit undique terror.
Spumeus everſo ſuperans velut aggere torrens,
Collectâque irâ tumidus, cumuloque ruentum
Fervidus undarum, paſſim caulaſque gregeſque
Conglomerans, ſilvaſque rotat colliſaque ſaxa :
Terribili ſonitu latè loca pulſa reclamant.
Talis ovans hoſtili inſert ſe Sarmata vallo ;
Obvia præcipiti permiſcet cuncta ruinâ.
Numine victricem dextro ſic ire phalanga
Exultans ; votique, opifer quo rite vocatus
Koſtka aderat, compos tum denique Ductor in altum
Emicat alipedem ſaltu ; peditemque ſecutas
Accelerare jubens equitum præit arduus alas.
Ocyus infundit patulis ſe ſe utraque caſtris, &c.
Pulvere jam cæcus fumoque obtexitur æther :
Letiferæ crepitant flammata grandine nubes.
Omnigenis ſævit telis, geſtitque cruore
Sordidus, ac totis volitat per funera caſtris
Sarmata, nec trepidos patitur conſiſtere Thracas.
* * * * * *

Aſt omnes quamvis caſtrorum agitata per oras
Turba fugit, vallumque extra dat terga Polono ;
Ferreus egregio Janiſſarus agmine reſtat.
Nil turbata phalanx, non ulla ex parte ſolutis
Ordinibus collecta, jugo conſedit ; & alta
Huſſeini octonis aciem prætoria circum
Millibus inſtruxit ; Magnique oblata recuſat
Munera Ductoris, placidaſque admittere leges.
Hic labor, hic nodus, pugnæque aſperrima moles.

Chocimo propior, montanoque edita dorſo,
Caſtrorum regio domitis ſupereminet arvis.
Acre ſatellitium Sultani, interrita leto
Stat numeroſa cohors; projectam ultura ſalutem,
Armorum ſeſe vallo ſtipata coronat.
Ignivomo rigidi ære tubi, præfixaque acuto
Silva ſariſſarum protenditur undique ferro.
Horrentem & ſpiſſo conſertum robore vallum
Disjicere admotis placuit, quæ Turcica præda,
Tormentis, ſolidas aptis divellere turres.
Ergo aciem contra Odryſiam Vulcania moles
Ducitur ingenti ſerie; vaſtoque boatu
Sulfureos nimbos & fulmina Martis ahena
Torquet in objectum truculenti militis agmen.
It ferrata ſeges, flammâque animata phalangem
Dilacerat; longeque actis lateque recluſam
Limitibus ſecat. Hàc orbes rapido ære rotatos,
Hàc rutilas ſpargi diro ſtridore catenas
Cernere erat; contrita ſimul, ſimul uſta virorum
Brachiaque & capita, huc illuc jactata per auras;
Sanguineoque afflicta ſolo ſquallentia plagis
Corpora, & ipſa ſuis transfixa indutaque telis.
Quà labes impreſſa, ruunt in aperta parati
Septa equites. iiſdem ſævos modò lenius ignes
Intonuiſſe putes caſtris, & ahenea Martis
Fulmina, dum totas agitant populantque cohortes.
Sic alacer turmas rapit impetus, agmine rupto
Supremam ardentes cladem accumulare Polonos!
Jam partam laudem, victriciaque arma morari
Auſam aciem delere avidi cæduntque metuntque.
Certatim gladios, haſtas, ſclopeta, ſecures
Ingeminant. Medios ſe nobilis ira per hoſtes
Explicat, extremo gemebundâ in morte furori
Oſmanidûm inſultans; protritaque quadrupedantum
Calcibus, & rabido laniantur corpora morſu.
Aëre trunca volant, ſternuntque informia clivum

Membra: natat tellus, & cœlum ſanguine rorat.
Lechiadûm ſic marte phalanx Janiſſara late
Procubuit. totis ſic Biſtones undique caſtris
Ejecti ruere ad fluvium, pontiſque propinqui
Effugia, & fœdam pedibus mandare ſalutem.
Ipſe Huſſeinus atrox, luctuque oppreſſus amaro
Dum fugit, & triſtes Sultani præcipit iras,
Incertus, Dominum gravius formidet, an hoſtem;
Radziviliaci percuſſus acinacis ictu
Penè cadit: multo perfuſum ſanguine morti
Vix caput eripiens, trajecto elabitur amne.
Non ita, quos comites fugienti terror agebat.
Littavicus partem immiſſis equitatus habenis
Sternit humi: partim, victorum urgentibus armis,
Ponte ſuper, tumidi ſubjectum in fluminis alveum
Præcipitant; ſeniſque extincti millibus, undas
Corporibuſque armiſque arctant, auctaſque cruentant.
Alter & undantes habet amnis ſanguine terras;
Terras, quas Geticæ, bis millia dena, catervæ
Contexere; vaga ſegetes ut falce per agros
Dejectæ, aut ſilvis excuſſæ turbine frondes.
Innumeræ paſſim campos per & horrida caſtra
Apparent leti facies. diviſa bipenni
Hic capita; & cerebro & tabo miſcetur arena:
Illic ſemicremata jacent, diſcerptaque plagis
Corpora, dimidiique homines, dubiæque figuræ
Truncorum; & fœde mutilos mors crebra per artus.
Haſtarum infracto confoſſi pectora ligno,
Huſſariæ legionis opus pars vulnere monſtrant.
Mactati cum plebe Duces, Baſſæque cruenta
Arva premunt: Soliamannus humi, Seyduſq; momordit.
Torvus adhuc vultu ſpirat furor; armaque ſervat
Pugnæ dextra memor, victorique ira minatur.
Victor at ipſe ſuo, poſtquam jam cæde peracta
Reſpirare datum eſt, facto defixus, & acri
Proruta metitur Thracum munimina viſu;

Conciſaſque acies, fumantes ſtragis acervos;
Et tantum potuiſſe feros miratur in hoſtes &c.

Habes narrationis formam, in qua non dicam expreſſa, quæ tradita ſunt hactenus; at orationes directas & obliquas, ſimilitudines comparatas, deſcriptioneſque varias obſervari poſſe: quibus inter ſe permiſtis efflorefcere poëtica debet narratio. Quòd autem deſcriptiones appellavi; non abs re fuerit monere, aliud eſſe, deſcriptionem ſuſcipere ſic tanquam materiem caputque poëmatis; aliud, poëmati velut partem intexere. Scutum Herculis Heſiodus, Catullus Thetidis veſtem, de quibus jam dictum eſt, ſi deſcribenda operè proprio ſumpſiſſent; poterant ſanè immorari, quantum uterque fecit, inſtitutæ deſcriptioni. Atenim cùm ille pugnam Herculis cum Cycno tractaret, hic Thetidis cum Peleo nuptias: certè committendum non fuit, ut locus daretur ad Scuti nomen inſcribendum narrationi certaminis: &, quod facere pari jure licuit, ad Veſtem carmini inſcribendam nuptiali.

Atque hanc ſcilicet deſcriptionum in epopœia longitudinem intempeſtivam, à Buſſerio, hiſtoricis poëticiſque ſcriptis nobilitato, reprehenſam in ſua de hoc argumento diſſertatione intelligas. Non utique diſcinctam Poëſin, otioſas & languidas probarim deſcriptiones; ſed vividas, ut ille, amarim hypotipoſes, & affectibus diſtinctas, cujuſmodi ſunt Virgilianæ. Idemque ſentiendum de comparationibus & orationibus; in quibus multi ſunt juſto copioſiores. Ceterùm & ampla ſanè clypei Vulcanii deſcriptio, rerumque bellicarum paſſim, in Æneide; & XI. l. Turni apud Latinum oratio, Anchiſæ ad filium l. VI. maximè Æneæ ad Didonem II. & III. de Trojano excidio, ſuoque curſu maritimo. At hæc pro rata

portione univerſi poëmatis : & deſcriptiones , orationeſque ita plenæ ſpiritu ſunt , ut res non pingi, non dici, ſed coràm geri videantur. Quibus de ornamentis poëticæ narrationis plura exponerem, niſi me diſſertationis hujus magnitudo tranſire ad Epilogum cogeret : præſertim cùm in hos uſus & ſuperiora præcepta exemplaque ferme ſufficiant, & conſequens liber non pauca ſit utriuſque generis collaturus.

DE EPILOGO.

PARTEM hanc minimè poëmati neceſſariam eſſe conſtat ex Iliade , Odyſſea , Æneide , quæ ipsâ narrationis abſolutione clauduntur ; rectè adhiberi tamen patet ex Georgicis , aliiſque variis operibus. Tum verò poëtæ ſolent ea, quæ cecinerunt, breviſſimè colligere; interdum ætatis ſuæ, rerumque ceterarum ad ſe ſpectantium, commemorationem attexunt ; locum tempuſque , quo ſcripſerint , annotant. Miſſionem à Muſis nonnunquam petunt , laboris diuturnitatem cauſati : frequenter ſibimetipſi gratulantur , & immortalitatis ſpe blandiuntur : ſæpe in Patroni ſui & Mecænatis , in Principis , cujus imperio tenentur, laudem excurrunt : ſeculi gloriam & felicitatem prædicant ; corruptelas aliquando carpunt , & deplorant calamitates. Optimè demum invocatione opis Divinæ, unde prooemium duxerunt , perorant ; ſive operi ſuo , ſive Heroï , quemadhuc in terris agentem celebrarint , ſeu patriæ, Regibus, populis fauſta comprecantes.

Ita Virgilius ad finem 1. Georg. poſt defletam Iulii Cæſaris necem , crebraque cœleſtis iræ ſigna & bellorum civilium vulnera perſtricta , convertit ſe ad preces in gratiam Auguſti , generiſque Ro-

mani, cùm eſſent perturbata omnia, & nominatim agrorum honos protritus, belloque inducta vaſtitas. *Dii Patrii Indigetes* . . . . . *Hunc ſaltem everſo juvenem ſuccurrere ſeclo ne prohibete* . . . . . *Jampridem nobis cœli te regia, Cæſar, invidet* . . . *Quippe ubi fas verſum atque nefas, non ullus aratro dignus honos* &c. Liber II. exit expatiaturque in vitæ commendationem ruſticæ, cujus præconio admiſcet publicorum vitiorum cenſuram: ac ſtudio ſapientiæ ſignificato Poëta ruris amorem ſubjungit, ibique propoſitam quietem votis occupat. Sed quarto libro extremo generalis eſt Georgicon epilogus, quo tractatas Virgilius recenſet materias, adjunctâ temporis notâ & aſſentatione Cæſaris; Neapolitanæ interim ſuæ commorationis, otiíque ſtudioſi, ac prioris operis Bucolici illatâ mentione, conſignatóque ad poſteritatis memoriam indicio.

Hæc ſuper arvorum cultu, pecorumque canebam,
Et ſuper arboribus, Cæſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello &c.

Quem locum inſigniter vir clariſſimus expreſſit Scævola Sammarthanus in ſua Pædotrophia. quo de poëmate ſcribens ad Baïfium Ronſardus ille, poëſeos Gallicæ princeps olim & pater, non librum, ſed ipſas Muſas appellat, ſeculumque felix, quod talem tantumque virum protuliſſet.

Hæc ego Pictonicis olim ſecretus in agris
Buxiferos inter colles & confraga ſaxa,
Numen ubi dabat ipſe loci gratiſſimus horror,
Cantabam, exili quà ſe vagus amne per herbas
Clenus agit ſenſim, & ſinuoſo littore ſerpit;
Tempore quo, veteri deductus ab Hectore ſanguis,
Henricus, nova ſpes hominum, nova cura Deorum,
Gallica Sarmaticis forti conjuncta gerebat
Sceptra manu, & creperi poſt cæca pericula Martis

Cauſam age terrigenûm; & mẽbris quæ multa rubeſcit,
Fulmineum inflectat Genitorem oblata cicatrix.
Altiùs Abeli proclamet ſanguine ſanguis;
Atque ipſis veniam, quorum per crimina fuſus,
Oret adhuc. ſolio victor ſceptroque potitus,
Vive memor noſtri, & regna; ſobolemque MARIÆ
Adde novam, & Magnæ blandus Genitricis amorem
Concilia &c.

Hanc verò mortalibus Matrem ab ipſo Filio moriente attributam alloquitur epilogus libri Parthenicon primi, quo Marianorum Clientium Icones depinguntur.

O Virgo, ætheriæ flagrantia templa Sionis
Æternâ ditione tenens, Cœloque ſecunda
Parthenia, Heroum vario ſplendentia cultu;
Reſpicis hæc mutæ ſimulacra canora poëſis?
Si mihi Apelleæ, & ſummis quæ vatibus artes;
Bisgeminum pictura tuis decus afferat aris:
Quam nimirum avidis inhians oculiſque animiſque
Omne genus legeret MARIÆ, arderetque legendo.
Sed tamen hæc quæcumq; rudis monumenta camœnæ,
Partheniis appenſa tholis, cum corde clientis,
Quæ non ulla manus, non ulla refixerit hora,
Rite dico; ſacrum ſi fors dignaris amorem,
Auguſta imparibus venerantem altaria donis.

Dicatio hujuſcemodi, tum initio, tum fini convenit pii poëmatis: cujus ad inſtituti commendationem & illuſtrationem, laudatiſſimi viri factum apponam Iuſti Lipſii, qui Divæ Virginis Hallenſis exactam hiſtoriam ſic memorabili conſecratione obſignavit, poſt compendiarium Cœleſtis Reginæ encomium, religioſamque mirificæ benignitatis & potentiæ à ſe narratæ invocationem. *Hoc quidquid ingenii ac ſtili eſt, iterum tibi do, dico, conſecro: quod ex animo feci ante biennium, pennâ argenteâ in templo ante aram tuam ſuſpensâ: cui hos verſus ſubſcripſi.* Hanc,

Hanc, Diva, pennam interpretem mentis meæ,
Per alta ſpatia quæ volavit ætheris,
Per ima quæ volavit & terræ & maris;
*** Variaque luce ſcripta priſci ſeculi*
Affecit & perfudit; hanc pennam tibi
Nunc, Diva, meritò conſecravi Lipſius.
Nam numine iſthæc inchoata ſunt tuo,
Et numine iſthæc abſoluta ſunt tuo &c.

Propè eſt, ut retexam orationem meam in D. Radegundem Franciæ Reginam; ubi litterarium officium dixi accenſeri conveſtientibus regales aras ornamentis non oportere. præſtat enimvero ſæpe marmoreis aureiſque donis luculenta epigraphe. Notiſſimum quidem illud Horatianum; *Exegi monumentum ære perennius* &c. quod gloriosè imitatus eſt Ovidius in clauſula Metam. *Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes, nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas* &c. Modeſtiùs, aut timidiùs utroque Statius in Thebaïde, quam ſic affatur.

Durabiſne procul, dominoque legêre ſuperſtes,
O mihi biſſenos multum vigilata per annos
Thebai? jam certè præſens tibi fama benignum
Stravit iter &c.

Sed quod aiebam ſuprà, Numen Divinum rite in epilogo implorari; commune hoc poëtæ cum oratore. Nam & Catilinaria primâ Cicero Iovem, Statorem urbis & imperii, ad cuſtodiam civitatis & ultionem conjuratorum obteſtatur; & Verrinâ ultimâ Deos Deaſque obſecrat tam longa ſerie, quàm Maro in exordio Georgicon. T. Livius in præfatione hiſtoriarum ſuarum; *cum bonis potius ominibus*, ait, *votiſque ac precationibus deorum dearumque, ſi, ut poëtis, nobis quoque mos eſſet, inciperemus, ut orſis tantum operis ſucceſſus proſperos darent.* At Velleius Paterculus non alienam

S

Nam ſimul increvere animi ; ſimul æthere amico
Aucta ſecurigeras intendunt robora dextras :
Tertius & Turcarum obices perrumpere tandem
Impetus evaluit, caſtriſque immiſit apertis.
Huſſarti, natæ bellorum ad dura cohortes,
Multâ emolitæ vi barbara caſtra revellunt.
Protinus incurrit, quà porta effracta, Polonus
Victor ; & attonitos hoſtes agit undique terror.
Spumeus everſo ſuperans velut aggere torrens,
Collectáque irâ tumidus, cumuloque ruentum
Fervidus undarum, paſſim caulaſque gregeſque
Conglomerans, ſilvaſque rotat colliſaque ſaxa :
Terribili ſonitu latè loca pulſa reclamant.
Talis ovans hoſtili infert ſe Sarmata vallo ;
Obvia præcipiti permiſcet cuncta ruinâ.
Numine victricem dextro ſic ire phalanga
Exultans ; votique, opifer quo rite vocatus
Koſtka aderat, compos tum denique Ductor in altum
Emicat alipedem ſaltu ; peditemque ſecutas
Accelerare jubens equitum præit arduus alas.
Ocyus infundit patulis ſe ſe utraque caſtris, &c.
Pulvere jam cæcus fumoque obtexitur æther :
Letiferæ crepitant flammata grandine nubes.
Omnigenis ſævit telis, geſtitque cruore
Sordidus, ac totis volitat per funera caſtris
Sarmata, nec trepidos patitur conſiſtere Thracas.

* * * * * *

Aſt omnes quamvis caſtrorum agitata per oras
Turba fugit, vallumque extra dat terga Polono ;
Ferreus egregio Janiſſarus agmine reſtat.
Nil turbata phalanx, non ulla ex parte ſolutis
Ordinibus collecta, jugo conſedit ; & alta
Huſſeini octonis aciem prætoria circum
Millibus inſtruxit ; Magnique oblata recuſat
Munera Ductoris, placidaſque admittere leges.
Hic labor, hic nodus, pugnæque aſperrima moles.

Chocimo propior, montanoque edita dorſo,
Caſtrorum regio domitis ſupereminet arvis.
Acre ſatellitium Sultani, interrita leto
Stat numeroſa cohors; projectam ultura ſalutem,
Armorum ſeſe vallo ſtipata coronat.
Ignivomo rigidi ære tubi, præfixaque acuto
Silva ſariſſarum protenditur undique ferro.
Horrentem & ſpiſſo conſertum robore vallum
Disjicere admotis placuit, quæ Turcica præda,
Tormentis, ſolidas aptis divellere turres.
Ergo aciem contra Odryſiam Vulcania moles
Ducitur ingenti ſerie; vaſtoque boatu
Sulfureos nimbos & fulmina Martis ahena
Torquet in objectum truculenti militis agmen.
It ferrata ſeges, flammâque animata phalangem
Dilacerat; longeque actis lateque recluſam
Limitibus ſecat. Hàc orbes rapido ære rotatos,
Hàc rutilas ſpargi diro ſtridore catenas
Cernere erat; contrita ſimul, ſimul uſta virorum
Brachiaque & capita, huc illuc jactata per auras;
Sanguineoque afflicta ſolo ſquallentia plagis
Corpora, & ipſa ſuis transfixa indutaque telis.
Quà labes impreſſa, ruunt in aperta parati
Septa equites. iiſdem ſævos modò lenius ignes
Intonuiſſe putes caſtris, & ahenea Martis
Fulmina, dum totas agitant populantque cohortes.
Sic alacer turmas rapit impetus, agmine rupto
Supremam ardentes cladem accumulare Polonos!
Jam partam laudem, victriciaque arma morari
Auſam aciem delere avidi cæduntque metuntque.
Certatim gladios, haſtas, ſclopeta, ſecures
Ingeminant. Medios ſe nobilis ira per hoſtes
Explicat, extremo gemebundâ in morte furori
Oſmanidûm inſultans; protritaque quadrupedantum
Calcibus, & rabido laniantur corpora morſu.
Aëre trunca volant, ſternuntque informia clivum

Membra: natat tellus, & cœlum ſanguine rorat.
Lechiadûm ſic marte phalanx Janiſſara late
Procubuit. totis ſic Biſtones undique caſtris
Ejecti ruere ad fluvium, pontiſque propinqui
Effugia; & fœdam pedibus mandare ſalutem.
Ipſe Huſſeinus atrox, luctuque oppreſſus amaro
Dum fugit, & triſtes Sultani præcipit iras,
Incertus, Dominum gravius formidet, an hoſtem;
Radziviliaci percuſſus acinacis ictu
Penè cadit: multo perfuſum ſanguine morti
Vix caput eripiens, trajecto elabitur amne.
Non ita, quos comites fugienti terror agebat.
Littavicus partem immiſſis equitatus habenis
Sternit humi: partim, victorum urgentibus armis,
Ponte ſuper, tumidi ſubjectum in fluminis alveum
Præcipitant; ſeniſque extincti millibus, undas
Corporibuſque armiſque arctant, auctaſque cruentant.
Alter & undantes habet amnis ſanguine terras;
Terras, quas Geticæ, bis millia dena, catervæ
Contexere; vaga ſegetes ut falce per agros
Dejectæ, aut ſilvis excuſſæ turbine frondes.
Innumeræ paſſim campos per & horrida caſtra
Apparent leti facies. diviſa bipenni
Hic capita; & cerebro & tabo miſcetur arena:
Illic ſemicremata jacent, diſcerptaque plagis
Corpora, dimidiique homines, dubiæque figuræ
Truncorum; & fœde mutilos mors crebra per artus.
Haſtarum infracto confoſſi pectora ligno,
Huſſariæ legionis opus pars vulnere monſtrant.
Mactati cum plebe Duces, Baſſæque cruenta
Arva premunt: Solimannus humu, Seyduſq; momordit.
Torvus adhuc vultu ſpirat furor; armaque ſervat
Pugnæ dextra memor, victorique ira minatur.
Victor at ipſe ſuo, poſtquam jam cæde peracta
Reſpirare datum eſt, facto defixus, & acri
Proruta metitur Thracum munimina viſu;

Conciſaſque acies, fumantes ſtragis acervos;
Et tantum potuiſſe feros miratur in hoſtes &c.

Habes narrationis formam, in qua non dicam expreſſa, quæ tradita ſunt hactenus; at orationes directas & obliquas, ſimilitudines comparatas, deſcriptioneſque varias obſervari poſſe: quibus inter ſe permiſtis efflorefcere poëtica debet narratio. Quòd autem deſcriptiones appellavi; non abs re fuerit monere, aliud eſſe, deſcriptionem ſuſcipere ſic tanquam materiem caputque poëmatis; aliud, poëmati velut partem intexere. Scutum Herculis Heſiodus, Catullus Thetidis veſtem, de quibus jam dictum eſt, ſi deſcribenda operè proprio ſumpſiſſent; poterant ſanè immorari, quantum uterque fecit, inſtitutæ deſcriptioni. Atenim cùm ille pugnam Herculis cum Cycno tractaret, hic Thetidis cum Peleo nuptias: certè committendum non fuit, ut locus daretur ad Scuti nomen inſcribendum narrationi certaminis: &, quod facere pari jure licuit, ad Veſtem carmini inſcribendam nuptiali.

Atque hanc ſcilicet deſcriptionum in epopœia longitudinem intempeſtivam, à Buſſerio, hiſtoricis poëticiſque ſcriptis nobilitato, reprehenſam in ſua de hoc argumento diſſertatione intelligas, Non utique diſcinctam Poëſin, otioſas & languidas probarim deſcriptiones; ſed vividas, ut ille, amarim hypotipoſes, & affectibus diſtinctas, cujuſmodi ſunt Virgilianæ. Idemque ſentiendum de comparationibus & orationibus; in quibus multi ſunt juſto copioſiores. Ceterùm & ampla ſanè clypei Vulcanii deſcriptio, rerumque bellicarum paſſim, in Æneide; & XI. l. Turni apud Latinum oratio, Anchiſæ ad filium l. VI. maximè Æneæ ad Didonem II. & III. de Trojano excidio, ſuoque curſu maritimo. At hæc pro rata

portione univerſi poëmatis : & deſcriptiones, orationeſque ita plenæ ſpiritu ſunt, ut res non pingi, non dici, ſed coràm geri videantur. Quibus de ornamentis poëticæ narrationis plura exponerem, niſi me diſſertationis hujus magnitudo tranſire ad Epilogum cogeret : præſertim cùm in hos uſus & ſuperiora præcepta exemplaque ferme ſufficiant, & conſequens liber non pauca ſit utriuſque generis collaturus.

DE EPILOGO.

PARTEM hanc minimè poëmati neceſſariam eſſe conſtat ex Iliade, Odyſſea, Æneide, quæ ipsâ narrationis abſolutione clauduntur ; rectè adhiberi tamen patet ex Georgicis, aliiſque variis operibus. Tum verò poëtæ ſolent ea, quæ cecinerunt, breviſſimè colligere ; interdum ætatis ſuæ, rerumque ceterarum ad ſe ſpectantium, commemorationem attexunt ; locum tempuſque, quo ſcripſerint, annotant. Miſſionem à Muſis nonnunquam petunt, laboris diuturnitatem cauſati : frequenter ſibimetipſi gratulantur, & immortalitatis ſpe blandiuntur : ſæpe in Patroni ſui & Mecænatis, in Principis, cujus imperio tenentur, laudem excurrunt : ſeculi gloriam & felicitatem prædicant ; corruptelas aliquando carpunt, & deplorant calamitates. Optimè demum invocatione opis Divinæ, unde proœmium duxerunt, perorant ; ſive operi ſuo, ſive Heroï, quemadhuc in terris agentem celebrarint, ſeu patriæ, Regibus, populis fauſta comprecantes.

Ita Virgilius ad finem I. Georg. poſt defletam Iulii Cæſaris necem, crebraque cœleſtis iræ ſigna & bellorum civilium vulnera perſtricta, convertit ſe ad preces in gratiam Auguſti, generiſque Ro-

mani, cùm eſſent perturbata omnia; & nominatim agrorum honos protritus, belloque inducta vaſtitas. *Dii Patrii Indigetes . . . . . Hunc ſaltem everſo juvenem ſuccurrere ſeclo ne prohibete . . . . . Jampridem nobis cœli te regia, Cæſar, invidet . . . Quippe ubi fas verſum atque nefas, non ullus aratro dignus honos* &c. Liber II. exit expatiaturque in vitæ commendationem rusticæ, cujus præconio admiſcet publicorum vitiorum cenſuram: ac ſtudio ſapientiæ ſignificato Poëta ruris amorem ſubjungit, ibique propoſitam quietem votis occupat. Sed quarto libro extremo generalis eſt Georgicon epilogus, quo tractatas Virgilius recenſet materias, adjunctâ temporis notâ & aſſentatione Cæſaris; Neapolitanæ interim ſuæ commorationis, otiíque ſtudioſi, ac prioris operis Bucolici illatâ mentione, conſignatóque ad poſteritatis memoriam indicio.

Hæc ſuper arvorum cultu, pecorumque canebam,
Et ſuper arboribus, Cæſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello &c.

Quem locum inſigniter vir clariſſimus expreſſit Scævola Sammarthanus in ſua Pædotrophia. quo de poëmate ſcribens ad Baïfium Ronſardus ille, poëſeos Gallicæ princeps olim & pater, non librum, ſed ipſas Muſas appellat, ſeculumque fœlix, quod talem tantumque virum protuliſſet.

Hæc ego Pictonicis olim ſecretus in agris
Buxiferos inter colles & confraga ſaxa,
Numen ubi dabat ipſe loci gratiſſimus horror,
Cantabam, exili quà ſe vagus amne per herbas
Clenus agit ſenſim, & ſinuoſo littore ſerpit;
Tempore quo, veteri deductus ab Hectore ſanguis,
Henricus, nova ſpes hominum, nova cura Deorum,
Gallica Sarmaticis forti conjuncta gerebat
Sceptra manu, & creperi poſt cæca pericula Martis

Succinui, longè tenui veſtigia greſſu
Devenerata ſequens, & non imitabile plectrum.
At tibi non muſâ Ottomanos agitavit inermi
Vox, pariter ſuaviſque lyras, fortiſque tubarum
Terribiles imitata ſonos; auditaque toto,
Quà patet, orbe pios urgens ad prælia Reges.
Cretæas etiam donis porrectus ad oras;
Pannonico emeritus bello; Scythica arma, tuorum
Fregiſti manibus victor, dum myſtica tela
Ipſe moves, ſupplexque tuas operaris ad aras;
Cæſaris auxilio florentem ſplendidus alam
Tranſmiſiſſe equitum; ferroque auroque juvabas &c.

In calce poëmatis, cujus inſcriptio eſt, Inſula Fortunata, curæ Pacifici Principis laboreſque regii concinnuntur. Hymen Regius, ſive Epithalamium Ludovicæum, deſinit in gratulationem; ac totius Europæ, vel orbis potiùs univerſi ſtatum oculis ſubjicit. At, his omiſſis, planè ſacra proferam. Theandricon liber III. (quod eſt Crucis Oraculum, ſive Chriſti Suprema Septem Effata) pio terminatur affectu circa Domini ſilentium & eloquium, ac ſupplicatione, partim ut cœlo jam immortalis eadem pro nobis verba ad Patrem æternum Matremque ſanctiſſimam dirigat; partim ut eorum uberrimos nobis ſuaviſſimoſque fructus tranſmittat.

Hac-ſuprema-tenus Divini oracula Verbi:
Nunc extincta riget letali frigore lingua.
Ille quidem obticuit; ſed & ipſa ſilentii clamant,
Omniaque abſumpto pœnis in corpore membra.
O ſurdi, queis tanta ſilent monimenta dolorum!
Diſcite, quid ſit amor Chriſti, quid criminis horror.
Tuque adeo, quem nec mortis fatalia jura,
Ferrea nec domiti tenuerunt vincla ſepulcri,
Perge, precor, cœlo ſanctas expromere voces:
Horrendi ante oculos ultoris & ora, Patronus

Hanc, Diva, pennam interpretem mentis meæ,
Per alta ſpatia quæ volavit ætheris,
Per ima quæ volavit & terræ & maris;
*** Variaque luce ſcripta priſci ſeculi*
Affecit & perfudit; hanc pennam tibi
Nunc, Diva, meritò conſecravi Lipſius.
Nam numine iſthæc inchoata ſunt tuo,
Et numine iſthæc abſoluta ſunt tuo &c.

Propè eſt, ut retexam orationem meam in D. Radegundem Franciæ Reginam; ubi litterarium officium dixi accenſeri conveſtientibus regales aras ornamentis non oportere. præſtat enimvero ſæpe marmoreis aureiſque donis luculenta epigraphe. Notiſſimum quidem illud Horatianum; *Exegi monumentum ære perennius* &c. quod gloriosè imitatus eſt Ovidius in clauſula Metam. *Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes, nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas* &c. Modeſtiùs, aut timidiùs utroque Statius in Thebaïde, quam ſic affatur.

Durabiſne procul, dominoque legêre ſuperſtes,
O mihi biſſenos multum vigilata per annos
Thebai? jam certè præſens tibi fama benignum
Stravit iter &c.

Sed quod aiebam ſuprà, Numen Divinum rite in epilogo implorari; commune hoc poëtæ cum oratore. Nam & Catilinaria primâ Cicero Iovem, Statorem urbis & imperii, ad cuſtodiam civitatis & ultionem conjuratorum obteſtatur; & Verrinâ ultimâ Deos Deaſque obſecrat tam longa ſerie, quàm Maro in exordio Georgicon. T. Livius in præfatione hiſtoriarum ſuarum; *cum bonis potius ominibus*, ait, *votiſque ac precationibus deorum dearumque, ſi, ut poëtis, nobis quoque mos eſſet, inciperemus, ut orſis tantum operis ſucceſſus proſperos darent.* At Velleius Paterculus non alienam

ab hiſtorico cenſuit hujuſcemodi invocationem in fine. *Voto finiendum volumen ſit. Juppiter Capitoline . . . . vos publicâ voce obteſtor atque precor cuſtodite, ſervate, protegite hunc ſtatum*; Iam, ut exempla repetam ſanctiora; Sodalibus Marianis ſuam felicitatem gratulatur ſecundi Parthenicon libri concluſio.

Vivite, Parthenici. Divinæ cura Parentis;
Creſcite, Nazarium terris diffundite odorem,
Inſcripti M A R I Æ *ſtellantia nomina flores!*
Vos tenerâ colit illa manu, cœlique benigno
Imbre rigat . . . .
Pignora læta fovet, maturos ordine fructus
Eliciens; donec mortalis caſibus avi
Eximat Alma ſuos, Patrona Parenſque, Sodales.
Blandâque ipſa manu, ceu ſpinis obſita carpit
Lilia Parthenicos, & amicis inſerit aſtris.

Tertius liber contextu perpetuo elogiorum Deiparæ, cum anacephalæoſi myſteriorum jam latiùs expoſitorum, ac multiplici deprecatione abſolvitur. Habet quoque in exitu Apotheoſis Borgiana complexionem quandam ſuperiorum, inſtar epiphonematis.

Sic Pater omnipotens gratantibus inclyta terris
Præmia Virtuti ſanxit: laudiſque fugacem,
Ac, Ducis exuto ſplendore opibuſque ſuperbis,
Magnificè opprobriis auſum ſe involvere Chriſti
Franciſcum, hîc noſtras etiam dum carperet auras,
Cæſareos ſupra venerandum evexit honores.
Summiſſi officiis reges, ſtupefactaque regna
Cæleſtem coluere virum: Natura jubentem
Audiit; attactum morbi timuere, caducis
Cedere corporibus trepidi: mors ipſa refugit,
Tartareique hoſtes: ac mens præſaga futuri,
Semotaſque procul vivâ res luce retexit.
Omnia proſpectans ſuperâ nunc arduus aulâ,

Et nova per populos fundens miracula, mundi
Supplicis ambitur votis: radiiſque micantem
Sacra triumphali circumfert Gloria curru.

Hactenus de toto epilogo: nunc ad noviſſimam periodum, verſumque omnino poſtremum admovenda cautio eſt duplex, in re, atque in dictione. Etenim cùm nihil tam inſigne ad memoriam ſit, quàm quod primo extremove loco dicitur, ſi aliquo vitio fuerit notabile: quemadmodum antea proviſum voluimus, ut ne quid in proœmio, atque in ipſo potiſſimùm ingreſſu, lectoris vel auditoris animum percuteret ſententiæ aut verbi pravitate; ſic omnino danda eſt opera, ne quid in exitu offendat. Præteritam quamlibet ſuavitatem faſtidio & triſtitiâ quadam corrumpet deſinentis poëmatis, ſi qua erit, acerbitas; & admirationem, quantacunque fuerit, contemptu demum obruet ſcriptoris odioſa perverſitas. Medeam peſſimè tragœdiam ſolvi, machinâ videlicet, pronunciavit Ariſtoteles. & id extat peccati in Latino ejuſdem argumenti dramate. *Squammoſa gemini colla ſerpentes jugo ſummiſſa præbent... Ego inter auras aliti curru vehar.* At graviùs, & impietate præceps ruit verſus ultimus, dicente Iaſone; *Teſtare nullos eſſe, quà veheris, deos.* Meliùs profectò in Græcâ Euripidis Medeâ Deos idem Iaſon obteſtatur ſcelerum ultores. Sophocleæ, aliæque tragœdiæ, & opuſcula heroïca, & odæ, & elegiæ frequenter ſententiâ explentur morali, & illuſtrantur. Epigrammata quoque hunc amant ornatum; in quibus, nedum in ſuperioribus poëmatum generibus, veteres haud item, ut vulgò recentiores, acumina deperibant.

Quod ipſam attinet ſupremi carminis formam; gnaviter attendendum eſt, ut aptè numeroſéque cadat; ſeu deponatur poëma decorè, non abjicia-

tur. Talis Æneidos clauſula eſt: *Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.* Manilius haud optimè Aſtronomica ſua finivit hoc verſu;

Totus & accenſo mundus flagraret Olympo.

Aliter carmen hoc ſtruxiſſet pro ſua ſolertia Maro: *flagraret mundus*; quantum exiſtimare licet duobus ex locis, Bucolicon uno, Æneidos altero. ad hunc modum eſt utrobique confectus verſus. *Juſſit, & invito proceſſit veſper Olympo. Ante diem clauſo componet veſper Olympo.* Sannazarius oden, quam epigrammaton libro primo inſeruit ad Villam Mergillinam, ita concluſit:

Addidit, ſilvas & amica Muſis Otia præbens.

Aptiùs planè dixerit; *& amica præbens otia Muſis.* non quò damnem verſum in participium exeuntem: ſed verſum extremum poëmatis nolim participio, præſertim diſſyllabo, concludi: & alioqui melior ubivis fuerit ſtructura poſterior. Carmen illud, quo terminatur Specimen belli civilis Petronianum, de quo in primo libro dictum eſt, tametſi laudem habere poſſit, quòd multa colligat, non tamen ſatis ad clauſulam obtinere videtur dignitatis; *Factum eſt in terris, quidquid Diſcordia juſſit.*

Similitudine ac tranſlatione pereleganti Maro librum Georg. primnm abſolvit. *Ut cùm carceribus ſe ſe effudere quadrigæ, Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.* Admonitionis quadam ſpecie, cum allegoria, ſecundo libro modum ponit.

Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor:
Et jam tempus equûm fumantia ſolvere colla.

Horatius correctione oden I. l. II. velut præcidit. *Sed ne relictis Muſa procax jocis .... Quære modos leviore plectro.* Ac tertia tertii libri tanquam receptui canit, curſumque abrumpit vaticinii divini. *Non hæc jocoſæ conveniunt lyræ. Quò*

Muſa tendis ? deſine pervicax referre ſermones deorum, & magna modis tenuare parvis. Grandiorem alicubi numerum in ipſo fine adhibuit ad majeſtatem : *Divitias operoſiores.*

Iucunda accidit clauſula, quæ ſe ad principium reflectit poëmatis : ut extremus hic verſus elegiæ Tibulli primæ ; *Dites deſpiciam, deſpiciamque famem*; qui diſtichon illud primum reſpicit : *Divitias alius fulvo ſibi congerat auro, & teneat culti jugera magna ſoli.* Nonnunquam idem, quo cœptum eſt poëma, recinitur in fine integrum carmen. *Quid eſt, Catulle, quid moraris emori ?* Atque huic potiſſimùm in hendecaſyllabis lepori arridetur. Quòd ſi à profanis fas eſt ad ſacra exempla aſſurgere ; Vatis Regii in Pſalmis, nec ſemel, voces primis ſummæ reſonant. Interdum ſic reditur ad caput, ut mutato verbo ſenſus mutetur, antitheſis efficiatur. De Chriſto nato in ſtabulo Sarbievius, quem lyricæ poëſeos laude multi adæquarunt Horatio ; Ioninus, & ipſe inſignis Lyricus, pæne antetulit : *Quid eſſe poſſit hoc puello carius ? ... Quid eſſe poſſit hoc puello vilius ?* Feliciſſimè cadit, cum habet emphaſim verſus ultimus ; quemadmodum in epicedio Seriniano.

Attonitæ lugent ceu publica funera gentes
Chriſtiadùm : at feſtis collucet Turcia flammis.

quibus ex ignibus, Turcicâ lætitiâ accenſis, elucet magnitudo Serini, jacturæque gentium Chriſtianarum. Omitto cetera ejuſdem generis, quæ in poëmatis noſtris occurrant ; extrema in Curru Gloriæ ſibi reſpondentia, & alios cum procemio epilogi concentus.

Latiùs autem patet, quam ad epilogum adhibui, obſervatio : & quoniam hoc libro actum eſt de poëmatis diſpoſitione, ſeu partibus illius rectè & ordine conſtruendis ; cautionem iſtam confe-

ram ad ſegregatorum opuſculorum, veluti Silvarum, collocationem, ut ratio decori in eorum ſerie ſituque teneatur: quod in rhetoricis præcipi ſolet, prima ultimaque ſint optima; lectorem honeſtè jucundéque & accipiant & dimittant. Hærent menti infixa ad exiſtimationem in utramque partem, quæ bene aut ſecùs dixeris vel incipiendo, vel deſinendo. Ordine quidem temporum, ſive quibus res in materiem poëmatum delectæ evenerint, ſive quibus poëmata condita fuerint, ſcripta ſua editurum non adſtringam: multæque interveniunt cauſæ, cur eum ordinem mutari præſtet, nuſquam tamen perturbari.

Id adeo factum à Propertio mirêre; ut cùm Cynthiæ jam ſepultæ umbram, integrâ, nec brevi, elegiâ ſecum agentem induxiſſet; eandem proximâ elegiâ Cynthiam, perinde ac ſi nihil accidiſſet, vivam, effuſiſque per Appiam viam rotis improbè triumphantem ſuccineret. Nihil de Marone dicam, qui Daphnin, cujus exequias & apotheoſin ecl. v. celebrarat, ecl. VII. mortalem adhuc miſceat paſtoribus. Quòd ſi quis hunc ab illo alium eſſe Daphnin contendit; unde, quæſo, diſcrimen adſtruet? vitari certè nominis ambiguitatem loco tam propinquo, tam inſigni, potuiſſe quis negaverit? aut ſi quis ipſos autores vindicare, me quidem libente, ab hac qualiſcunque perturbationis non-artificioſæ culpa quæſierit; in editores antiquos utriuſque vatis, & criticos, ſi quid eſt ordine præpoſtero peccatum, recidere atque exonerari neceſſe eſt.

Nunc, ad epilogum ut revehar; quando jam pleraque genera poëmatum quo peragantur modo, indicavi, ſolennem ſcenicorum formulam deſiderari non patiar. iis verò maximè uſitatum erat in fine hoc verbum, *plaudite*: ad quod Cicero allu-

ſit, cùm ait, vitam humanam fabulæ comparans; *neque enim hiſtrioni, ut placeat, peragenda eſt fabula, modò, in quocunque fuerit actu, probetur; nec ſapienti, uſque ad plaudite, veniendum.* Quem locum ſpectavit Fabius; at non ita propriè plauſibilitérque uſurpavit verbum theatrale, ubi ſcripſit: *tunc eſt commovendum theatrum, cùm ventum eſt ad ipſum illud, quo veteres tragœdiæ comœdiæque clauduntur, plaudite.* videtur enim dicere, tunc adhibendam eſſe amplificationem, quâ concitentur animi, cùm ad extremum verbum pervenitur. Quod autem docet Voſſius, agens de Comœdia: *ultima hæc verba, valete & plaudite, non ab actorum aliquo, ſed à cantore, vel alio dicuntur; ne parum ſeriò res acta videatur, ſi actores ipſi populum compellent:* id verò à Voſſio dici, pæne incredibile ſit. Non arguo, ultima hæc verba generatim appellata, cùm frequentiùs, *plaudite*, ſolum reperiatur: ſed hæc verba, ubi verè ultima ſunt, à perſona tamen dramaticâ in Terentianis comœdiis pronunciantur.

Apud Plautum grex ea verba profert, inquit Voſſius; falsò, ſi ſemper à grege prolata intelligit, ut affirmat universè. in fabulis nempe ſex tantùm, ea verba grex profert; certa verò perſona in reliquis tredecim perfectis, ac nominatim in prima & ultima. Neque abſurdius eſt populum ab actore in epilogo compellari, quàm in prologo. Atqui non Mercurius modò, actor ſanè ſpectabilis, ad populum in *Amphitruone* proloquitur ante primum actum: ſed extra ordinem & actu fabulæ ejuſdem tertio Iuppiter; & Paleſtrio ſervus *Militis Glorioſi* actu ſecundo ampliſſimè. Sollicitus fuit Voſſius, ne parum ſeriò res acta videretur, ſi actorum aliquis populum appellaret. num ſeriò magis agitur, dum tota caterva compellat? Curam bonus vir

ſerii in ridiculo nimiam gerit. Equidem ſcire cupiam, quid ſenſerit de Virgilii porta eburnea, quâ *falſa ad ſuperos mittunt inſomnia manes. Hàc, totâ paſſim Elyſii regione vagatos Emittit natum Anchiſes, vatemque Sibyllam.* Quid hoc, niſi ludos eſſe datos, cantatas fabulas? Nihil, credo, pluribus contra Voſſium opus aut momentis rationum, aut poëtarum exemplis. vel uno ex loco, Pſeudoli clauſulâ, quidquid objeci, pluráque à me diſſimulata, facilè conuicerim. At ego haud ſanè libenter comica refero: ne legerim quidem, niſi innoxia diſpiciens. epilogi tamen hîc partem eâ gratiâ exhibebo, ut juſtum de comico genere judicium feratur. Poſt fabulam, *Captivi* inſcriptam, Grex in hunc modum eloquitur.

Spectatores, ad pudicos mores facta hæc fabula' ſt.
*** Hujuſmodi paucas poëtæ reſerunt Comœdias,*
Ubi boni meliores fiant. Nunc vos, ſi vobis placet,
Et ſi placuimus, neque odio fuimus, ſignum hoc mittite,
Qui pudicitiæ eſſe præmium voltis, plauſum date.

Ecce tibi de Comœdiarum improbitate luculentum ipſius Plauti, atque omni majus exceptione teſtimonium, & ipſius veritatis vi in ſuammet artem artificis extorta confeſſio. cui adjungam exclamationem illam Tullii ironicam cum aſſeveratione graviſſima. *O præclaram emendatricem vitæ!.. de Comœdia loquor, quæ, ſi hæc flagitia non probaremus, nulla eſſet omnino.* Plauſus ergo minimè iſti generi debetur, niſi ſi qua fortè pudica extiterit comœdia. Leviculum eſt præterea inſtitutum plauſûs eliciendi popularis, nunquam certè flagitioſo carmine eblandiendi. Sapientium ſuffragio, non vulgi temeritate probari ſtudent veri poëtæ; in omni quidem actu & parte poëmatis, at in extrema potiſſimùm induſtrii & diligentes; eóque plauſu digniores, quò minus eum evocant.;

niſi cùm publicam virtuti gratulationem poſtulant plausûs nomine. ut in ode libri de Sacro ab Aula Transfugio*, tanquam in ſpectaculum dato, non multitudini imperitæ, ſed erudito cœtui.

Signa evolantes ad ſacra Transfugas
Pæan ſequatur. vos, tacito pios
Stupore mirati receptus,
Mox alacri reſonate plauſu.

Digitized by Google

DE
POEMATE
LIBER III.

DISSERTATIO
DE POETICA DICTIONE.

IAM explicatâ Diſpoſitione ſtructuráque Poëmatis, & partium ſingularum diſciplinâ formâque propoſitâ, Dictionem, operi neceſſariam univerſo', & inventa diſpoſitaque exornantem, hîc ordine ſuo perſequar Variis illa quidem præceptis ex occaſione paſſim, ipſoque nexu rerum & uſu anteoccupata, crebriſque ſpectata exemplis; at diſtinctiùs nunc propria juſtaque diſſertatione exponetur. Pedeſtres hiſtorias appellat, oratione ſoluta compoſitas, Horatius; negatque idem, ut alibi notavimus, ad poëtæ nomen ſuſtinendum

pro dignitate, ſatis eſſe *concludere verſum*, hoc eſt, dimetiri legitimis pedibus, & ſcribere *ſermoni propiora. Os* videlicet *magna ſonaturum* deſiderat; Quò induſtriè reſpexit Albertus Daugieres, cùm venuſto carmine ad Ferdinandum Poëtarum Antiſtitem, ſic, ipſe magna ſonans, de Camœnis cecinit, Celſiſſimo Principi doctiſſimoque addictis.

Quin etiam aggreſſæ centum te dicere linguis
Grande ſonaturos gaudent tibi fingere vates.

Ergo (ſubdit Horatius iis quæ ſuprà memoravi ex IV. Satyrâ)

Non ſatis eſt puris verſum perſcribere verbis,
Quem ſi diſſolvas, quivis ſtomachetur eodem;
Quo perſonatus pacto pater. His, ego quæ nunc;
Olim quæ ſcripſit Lucilius, eripias ſi
Tempora certa, modoſque, &, quod prius ordine verbum eſt,
Poſterius facias, præponens ultima primis:
Non, ut ſi ſolvas; poſtquam Diſcordia tetra
Belli ferratos poſtes portaſque refregit;
Invenias etiam disjecti membra poëtæ.

Quamobrem antea poſuerat.

Idcirco quidam Comœdia, necne poëma
Eſſet, quæſivere; quod acer ſpiritus, ac vis,
Nec verbis, nec rebus ineſt; niſi quòd pede certo
Differt ſermoni ſermo merus.

Simplici verſu ſententiam illigavit Ciceronianam ex Oratore. *Itaque video viſum eſſe nonnullis, Platonis & Democriti locutionem, etſi abſit à verſu, tamen quod incitatiùs feratur, & clariſſimis verborum luminibus utatur, potiùs poëma putandum, quàm Comicorum Poëtarum; apud quos, niſi quòd verſiculi ſunt, nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis.*

At neque poëma ſtare ſine metro poteſt: &

comœdia cum fabulam habeat numeris vinctam, eſt illa quidem poëſis, ſed humilis & ſocco incedens. Quid illa aſſurgens cothurno, & altiùs ingrediens Tragœdia? Interdum gradu dejicitur, ordine movetur; ſi credimus Tragœdo illuſtri, Danieli Heinſio, qui verè ingenuéque in libro de Tragœdiæ Conſtitutione Muretum & Buchananum coarguit. *Cum ſe ſcena crediderunt*, inquit, *alterum in cothurno, alterum in ſocco pedem habuiſſe exiſtimes.... Sanè illius Cæſare, hujus Jephte dici humilius nihil poteſt. & vix uſquam aſſurgunt. quædam tamen ſupra fidem jacent.*

Tum exempla quædam ex Mureto jacentis dictionis refert; ſed plura ex Buchanano; & hujus non modò in elocutionem, verùm etiam in omnem Tragœdiæ formam peccata recenſet nec levia: quorum ego unum duntaxat adſcribam, ut hæream in cenſura dictionis, quando hæc in quæſtionem vocatur. *Si ſubinde verſus junxeris, ſolutum effeceris ſermonem ... de verſibus quis ſuſpicari poſſit? ... Jam Baptiſta* (ejuſdem Buchanani tragœdia altera) *infra cenſuram eſt. triſtis enim comœdia. Et ignarus hoc fatetur, cùm Terentianum prologum præfigit. In tragœdia enim una è perſonis eſt Prologus.... Tota autem elocutio è trivio. voces primùm abjectiſſimæ .... nonnulla, ne Latina quidem ....& ſimilia, quæ hoc uno proſunt, ut vitentur.*

Fateor equidem, nonnunquam ſe rectè ac decenter ſubmittere Tragœdiam, Comœdiam attollere: quemadmodum Horatius tradidit.

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,
Iratuſque Chremes tumido delitigat ore:
Et Tragicus plerunque dolet ſermone pedeſtri,

Sic Elegia lugubris ab origine, & altero claudicans pede, aliquando magnificè procedit, ac bellicoſos

belliccoſos induit ſpiritus, cultuſque triumphales: ut illa de prælio Actiaco Propertiana; ut Furſtenbergianæ, imprimis ad Alexandrum VII. Pontificem renunciatum; & ad Franc. Veckenum, de Muſis ſuis, & admirandis Romæ operibus, digna principe urbium, digna Principe poëtarum. Prudenter hoc tamen à Cicerone eſt obſeruatum. *Et in Tragœdia comicum vitioſum eſt, & in Comœdia turpe tragicum: & in ceteris ſuus eſt cujuſque certus ſonus, & quædam intelligentibus nota vox.* Cui accinit Horatius, ubi ſtatuit generatim:

Vocibus exponi tragicis res comica non vult.
Indignatur item privatis, ac propè ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.
Singula quæque locum teneant ſortita decenter.

Sed nimirum tria cùm ſint genera dicendi, tenue, grande, medium; quæ Virgilianis in Bucolicis, Æneide, Georgicis diſtinguntur: miſcentur hæc tamen inter ſe, ac temperantur in poëmatis, perinde atque in ſolutis orationibus; ut & in Eclogis locus ſit aliquis canendi majora, *dum redit & Virgo, redeunt Saturnia regna*; & in Georgicis, ad ſummum ſe efferendi genus, cùm inter deſcribendam tempeſtatem, *ipſe pater mediâ nimborum in nocte coruſca fulmina molitur dextrâ* &c. Contrà in Æneide nonnihil remittit ſe ſpiritus heroicus, temperatq; ad ludos l. v. & nonnunquam genus ad infimum delabitur: veluti l. IX. familiari ſermone.

Si tibi, quæ poſco, promittunt (nam mihi facti
Fama ſat eſt;) tumulo videor reperire ſub illo
Poſſe viam ad muros & mœnia Pallantea.

l. XII. *Do, quod vis; & me victuſque volenſque remitto* &c.

Poëtis, & maximè Tragicis, concedit Cicero, ut ne omnibus locis eadem contentione utantùr, crebroque mutent; nonnunquam etiàm adj quo-

tidianum genus ſermonis accedant. Tractanda videlicet (ut idem alibi docet) *humilia ſubtiliter, magna graviter, mediocria temperatè. nec ſatura jejunè, nec grandia minutè.* Quod enim oratori præſcripſit, ad poëtam quoque pertinet: qui, ex ipſius Tullii ſententia, *eſt eò laudabilior, quòd virtutes oratoris perſequitur, cùm verſu ſit adſtrictior.* Huic item illa tria genera conveniunt dicendi; *ſubtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo. Magni igitur judicii, ſummæ etiam facultatis eſſe debebit moderator ille, & quaſi temperator hujus tripertitæ varietatis.* Nimirum, ut veſtis corpori, ſic eſt aptanda ſubjectæ rei, ſive ſoluta, ſive ſtricta, oratio: neque ambitioſiùs conquirenda argumento vili ornamenta, neque materia ſplendida ſordidis verbis deturpanda. Res quidem *ornari* quandoque *negat, contenta doceri*, ut loquitur Manilius: ſed tamen ita ſit inornatum poëma, ut ingenua quædam ſimplicitas fuco & cincinnis antecellat. Ubi res ipſa per ſe ſpectabilis attentionem conciliat, nihil opus calamiſtris, nihil quaſi gemmarum inſignibus. Seriò ac graviter loquentes perſonæ, cum motu præſertim, cultum neutiquam exquirunt. ut Turnus l. x. Æneid.

Quod votis optaſtis, adeſt, perfringere dextrâ.
In manibus mars ipſe, viri. nunc conjugis eſto
Quiſque ſuæ, tectique memor; nunc magna referto
Facta, patrum laudes &c.

Pallas eodem libro:

Quò fugitis, ſocii? per vos & fortia facta,
Per ducis Evandri nomen &c.

Hæc tamen ipſa, & ſimilia paſſim, non horrida ſunt, neque figuris carent: & ſi venuſtatem repellunt, dignitatem retinent. alioqui ea, quæ deſperes ullo modo tractata niteſcere poſſe, re-

linquas, autore Horatio. Subſidit ex arte interdum poëta: verùm humi repere, multis certè verſibus, cavet, in Epopœiâ præſertim & Tragœdia; ſicuti factitatum à Buchanano; de quo rurſus videro, cum ad numeros poëticos ventum fuerit. Nunc obſervatum velim, non ita ſuperiorem illam de accommodanda rebus locutione doctrinam intelligendam, quin liceat deceatque ſæpe humilia attollere, diligentérque exornare. id quod ſplendidè Maro præſtitit quarto libro Georgicon, in tenui materia laborans, at gloria non tenui; & levium rerum exhibens admiranda elocutionis ornatu ſpectacula. populos & duces, & parvos Quirites de apibus uſurpat; de alvearibus, prætoria, urbis mœnia, cerea regna. Verumtamen *in omnibus rebus*, ut ſapienter admonet Cicero, *videndum eſt quatenus*.

Inſtitutionem à me expectet aliquis fortaſſe elocutionis generatim, ac troporum & figurarum; qui flos eſt poëticæ dictionis. Sed cùm hæc omnis diſciplina tradatur à Rhetoribus; non eſt quòd enucleandis verborum ſententiarumque inſiſtam ornamentis, nihilo magis quàm aperiendis fontibus argumentorum; quos pariter cum Rhetoricâ Poëtice in ſuos uſus à Dialectica, cùm opus eſt, derivat. Sic tamen utitur Poëta vel mutuato, vel communi theſauro Schematum & Topicorum, ut frequentiſſimè exemplis utantur poëticis artis oratoriæ doctores. Et verò Tullius ad Oratoris perfectionem requirit *verba propè poëtarum*: & uſurpat cùm ipſe, tum excellens quiſque ſolutæ ſcriptor orationis. De Livio ac Tacito multa ſatis in proluſionibus poëtica acervatim refert utrique ſuppar, etiam in hac parte, Strada. Sed ego ab iſtorum, aliorumque hiſtoriis, declamationibus, panegyricis poëtica, ad eloquentiæ granditatem

aſſumpta, non repetam: in uno hærebo principe oratorum: apud quem Piſonis ſupercilio reſpublica, tanquam Atlante cœlum, niti videbatur: in labores Herculis non minùs Verrem, quàm aprum Erymanthium, referri oportebat: quo anno ſol geminatus apparuit, P. Africanus ſol alter extinctus eſt. ex eodem Cannenſem pugnam nequitiæ audias; Scyllæum æris alieni fretum; Fortunæ rotam; Alpium vallum; flumen ſanguinis; faces, turbines, cœcas nubes & procellas reipublicæ. Infinitus ſim, omnia ſi perſequar Tullii poëticè dicta. Sed quantum is à poëtica ſumpſit, tantum ab eo recipere poëtis licet, vel Marone ſplendidum iſtud commercium exercente. Nam duo fulmina belli, mutas artes, aliaque ex Tulliana ſupellectili in uſus tranſtulit ſuos; & verò ex Bruto ejuſdem, hunc integrum verbis tantummodo tranſpoſitis verſum; *Proximus huic, longo ſed proximus intervallo.*

Sic nempe ſe res habet: verborum copia tironi Poëtices comparanda eſt; neque aliunde potiùs, quàm à Cicerone accerſenda. cui Iul. Cæſar (cùm ad illum de ratione Latinè loquendi accuratiſſimè ſcripſiſſet, primóque in libro dixiſſet verborum delectum originem eſſe eloquentiæ) tribuit hanc laudem ſingularem, ipſum pæne principem exiſtimari debere atque inventorem ejus copiæ, in quâ nonnulli ſtudio elaboraſſent, ut cogitata præclarè eloqui poſſent. Hic itaque fundus eſto, unde poëtica laus efflorêſcat, Ciceronis, Virgilii, ceterorumque optimorum Latinæ dictionis autorum evolutio aſſidua. ex iſto velut fonte redundet facilitas carminis & præſtantia. Neque enim vitioſa tantùm, & obſoleta ſunt fugienda in elocutionis uſu poëticæ: nec pura tantùm & incorrupta ſunt conſectanda; ſed ex optimis optima quæque deli-

bentur oportet, ut exiſtat magnifica, generoſa, admiranda, veréque poëtica dictio.

Quid Ariſtoteles de hoc genere dicendi ſenſerit, notávimus in tractanda Perſpicuitate; quam quidem poëmati virtutem expetit Philoſophus, ſed ab humilitate remotam vulgari, cum eximio ſplendore excellentique dignitate conjunctam. Is carmen ab Æſchylo profectum explodit ob verbum humile de phagedæna, quæ carnes *comedit* pedis: idemque prorſus carmen, ut pulchrum egregiumque approbat, verbo nobiliori, *epulatur*, ſubrogato ab Euripide. Multa Heinſius verba collegit Tragœdiæ indecora; nonnulla Voſſius. At huic nomen *anxiferi*, *fortaſſe durius eſt*: *Quod tamen*, ait, *uſurpat, qui è Sophoclis Trachiniis querimoniam Herculis vertit apud Cic. in* II. *Tuſc.* Age, quis ille, Voſſi, interpres? Audi Ciceronem ipſum, atque attende: ex quo cùm auditor quæſiſſet de hac Herculis Sophoclei querimonia: *unde iſti verſus*? rem indicat Cicero. *Studiosè equidem utor noſtris poëtis: ſed ſicubi illi defecerant, verti ipſe multa de Græcis, ne quo ornamento in hoc genere diſputationis careret Latina oratio.*

Quæ à Tullio verſorum Latinè Græcorum carminum mentio, revocat memoriam Arateorum Phænomenon; ubi, nec ſemel, utitur *lucibus* pro lumine, contra animadverſionem Grammatici percelebris in Nova Methodo: qui & nomini, *gaza*, cur pluralem apud Auguſtæi ſeculi ſcriptores numerum abrogat, cùm inter Horatii lyrica Iccius beatis invideat gazis; quamvis hæ, ut idem alibi canit, nihilo magis quàm conſularis lictor miſeræ tumultus mentis ſummoveant? Atque iſta, prætermiſſis quibuſdam aliis, juſtæ à me defenſionis causâ citra ullam contumeliam producta.

Iam quotuſquiſque verba, non dicam, Senecæ, Plinii, ſed Tullii, ſed Maronis, habet in numerato? Quintilianus (cui *non invenuſtè dici videtur, aliud eſſe Latinè, aliud Grammaticè loqui*) etiam nonnulla, quæ in Tullianis extant monumentis, verba configit. Atque ipſe (quod eſt mirabilius) Cicero in oratione pro Plancio; *maritum*, inquit, *appellas, ut verba etiam fingas, non ſolùm crimina.* & tamen non Virgilius modò & Horatius nomen hoc probum, ſcriptiſque ſuis haud indignum agnovere; ſed ipſe Tullius admiſerat oratione pro C. Rabirio, & primâ in Catilinam. Neque iis temporibus novum extitit verbum, quod tantò antè in libris de Inventione adhibuerat. Hos enim puero aut adoleſcentulo ſibi commentatos fuiſſe teſtatur in primo de Oratore. Nimirum excidêre quædam homini magno, ſed homini: & hi quoque lapſus eſſe nobis uſui potuerint ad modeſtiæ ſenſum, curæque commendationem rectè loquendi; cujus artis & diligentiæ Tullius *in filio, ut in epiſtolis apparet, uſquequaque aſper quoque exactor*; Quintil. c. VII.

Nunc mihi pro Sannazario agendum eſt cum Iulio Scaligero, cujus aliquot in hunc poëtam animadverſiones probavi: ſed, quòd Iudæum Paſtorem, ab Sannazario vocatum Ægonem reprehendit, nequaquam probo. Nam & à Iudæis uſurpata fuiſſe Græca nomina perſpicuum eſt in libris Machabæorum; qualia Menelaus, Iaſon, Eupolemus &c. idemque conſtat ex Novo Teſtamento, ipſiſque adeo quorumdam Apoſtolorum nominibus. Quid, quòd Virgilius Romanos paſtores iſtiuſmodi Græcis nominibus ornavit? Ad hanc obſervationem accedat, quòd inter Hebraiſmos ablegantur nonnulla perbene Latina; ut Iuſtitia, pro virtute generali. Annon hæc Latina ſunt;

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos, ex Virgilio? *Juſtum & tenacem propoſiti virum*, ex Horatio? Gallicíſmi nomine itidem Latinæ phraſes interdum notantur Gallicis conſonæ, cùm à Latinis tamen illæ Gallicæ profluxerint.

Sequitur, ut rejectis loquendi vitiis, contemptiſque Grammaticorum inanibus tricis & calumniis, libera, ſed exacta dictio rebus applicetur & conformetur. Sunt enim verba, tanquam rerum ſimulacra; ideoque rebus apta pariaque adhiberi convenit, ſplendida ſplendidis, læta lætis; ut Æneid. VIII. de Gallorum elegantia & ſplendore, priſcis etiam temporibus inſigni.

Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis.
Virgatis lucent ſagulis; tum lactea colla
Auro innectuntur.

De Ænea l. 1. *lumenque juventæ*
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores;
Quale manus, addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariuſve lapis circumdatur auro.

Laborioſa hæc quodammodo officinam Vulcaniam repræſentant.

Inſula Sicanium juxta latus Æoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua ſaxis:
Quam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis
Antra Ætnæa tonant; validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, ſtriduntque cavernis
Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat &c.

Oratoriis poëticiſque vir laudibus abundans, Petrus Olivier in Proluſione, quâ delicatè ingenioſeque pariter atque in ceteris, differit, quis Poëſi cultus conveniat, equi manſueti ingreſſum ita deſcribit. *ſimul arte magiſtrâ*
Indociles fregit motus, certiſque minutim
Concidit ſpatiis, caſtigavitque furorem
Iam domitus, replicatque alterna volumina crurum;

Mollius ingreditur campis, & corpore docto
Ad numerum, volvit ſinuoſam pulvere nubem &c.

Mox impetum equi bellatoris oculis ſubjicit.

Non ita ſaxoſis Libyæ nutritus in arvis,
Aut rapidum ad Bætin; ſpatiis ubi liber apertis
It vagus, & raras moderantum exaudit habenas.
Ille ferox animis; viridique calore ſuperbus,
Neſcit ſtare loco, & juſſus parere lupatis
Frendet, & admorſo fremit intractabile fræno.
*** Quid referam, quando horribili ſonat aura fragore,*
Martiaque æra crepant, fatiſque intenditur horror;
Ut tremit increpitans equitem, fremituque minaci
Exultans ruit in cuneos; perque invia rumpens,
Per gladios, per tela, viam ſibi, fulminis inſtar,
Calcibus & crudo facit implacabilis ore? &c.

Superiori tamen præcepto, quo nomina ſtatuimus aptanda rebus, magni aliquando poëtæ non ſteterunt: figura, quam Tapinoſin vocant, exiliùs prægrandia ſignificarunt. Zonas frigidas, quæ à Virgilio plenè graviterque exprimuntur *Cæruleâ glacie concretæ, atque imbribus atris,* Horatius hocce verſiculo deſignavit;

Quà nebulæ, pluviique rores.

Roris item nomine abuſus Propertius eſt pro mari.

Ionio laſſas ducere rore manus.

Veriſſimè quidem *Orbis terræ, tanquam guttæ roris antelucani* dicitur Sapientiæ c. XI. (quem librum eruditis ac Theologo dignis verſibus illigatum, commentarioliſque ſcitiſſimis illuſtratum, recens edidit Ioannes Perigaldus, poſteaquam ſibi ex laureis Galliæ Victricis, Poloniæque Triumphantis, coronam contexuerat:) ſed compoſitus Deo orbis, ut eo loci dicitur, in ſpeciem guttæ roris tenuiſſimæ decreſcit.

Et tibi collatus, Terræ ingens quamlibet orbis,

Inſtar habet grani, librâ quod ſubſtitit imâ;
Aut guttæ tenuis, qua roſcida depluit Eos,
Et ſitiens quam terra bibit;

ut vertit modò laudatus interpres. Quòd ſi Deus Optimus Maximus à ſanctis Vatibus *ros* eſt appellatus; ratio videlicet habita lenitatis eſt, quâ ros terræ influit; fertilitatis, quam invehit. *Ego quaſi ros: Iſraël germinabit ſicut lilium*, Oſee c. xɪv. ac nominatim ſacri puriſſimique in Virginem illapſûs, per humanæ aſſumptionem naturæ, myſterium eâ ſignatum eſt idonea ſimilitudine, Iſai. xʟv. quam ſimilitudinem & figuram, ex communi Patrum ipſiuſque adeo Eccleſiæ interpretatione, vellus illud Gedeonis prætulerat mirificè irroratum. Poëtæ verò in diſceptationem adducti, moleſtas & horrendas res blando roris nomine immutant; Zonas, quæ pruinâ obriguerint; undas, quibus obluctans homo deficiat: ut jam, non in ſimpulo, quod aiunt, ſed in rore tempeſtas & naufragium excitetur.

At majoribus, quàm congruat, nominibus interdum res declarantur: ut in Oedipo tragœdia, quod inter explicandam narrationis Brevitatem eſt notatum, *dubius effulſit dies*. convenientiùs rei (præter alia, quæ illîc propoſita ſunt) dictum videatur; *dubia ſublucet dies*. Et Horatius, qui Zonas diminuit in nebulas pluvioſque rores, ecquid in oculis auxeſi peccavit?

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutùm?

Lippis oculis qui videt, certè non pervidet; quod eſt, acriter acutéque cernere. Quantò rectius aptiuſque etiam in illa Evangelica ſimplicitate? *Ejice primùm trabem de oculo tuo: & tunc perſpicies ut educas feſtucam de oculo fratris tui.*

Nec modò ſolidorum habendus eſt poëtæ verborum delectus, verùm etiam litterarum, ut convenientiſſimæ rebus exquiſitæque ad ſonum adhibeantur. Quam à me diſquiſitionem exerceri non mirabitur, qui meminerit ab Ariſtotele de hiſce locutionis elementis tractatum Poët. c. xx. ac plura in eam Tullius in Oratore, Quintilianus libro Inſtitutionum Oratoriarum primo, capite ſeptimo; cujus ad calcem quærit, *an ideo minus Meſſala nitidus, quia quoſdam totos libellos non de verbis modò ſingulis, ſed etiam litteris dedit?* Atque hæc quidem neceſſaria fiunt magnificentiùs, quàm docentur, ut ait Cicero. *nam omnium magnarum artium, ſicut arborum, altitudo nos delectat; radices ſtirpeſque non item: ſed eſſe illa ſine his non poteſt.*

Neque tamen iſte delectus litterarum tanti laboris eſt, quanti fortaſſe videatur. Crebrâ poëtarum induſtriorum lectione, & compoſitione accuratâ verſuum, fiet ars hæc quodammodo naturalis. & inter ſcribendum poëma aderunt ſponte ſuâ, nec vocatæ, opportunè ſonantes litteræ; nihilo ferè operoſiùs, quàm ad ſimplicem ſcriptionem neceſſariæ, ultro, ne cogitare quidem ſentientibus ex longo uſu nobis ſub calamum veniunt. ipſique metrici pedes ad carminum ſtructuram ſuum quiſque locum injuſſi occupant; ut ei qui ſe diu in poëticis multumque exercuerit, nec enumerandi, nec expendendi ſint, plures an pauciores, breviores an longiores, conſuetudine animadverſionem non requirente.

Litterarum aliæ ſuavitatem conciliant, aſperitatem producunt aliæ, quædam amplitudinem imitantur. quo in diſcrimine mirâ diligentiâ & ſingulari judicio verſatus eſt Maro. Et primum quidem elementum neſcio qua mollitia carmen

exhilarat: quare à ſapientiſſimo poëta libentiſſimè frequentatur.

Mollia luteo'â pingit vaccinia calthâ.

Quàm rari ſic pinxiſſent! ac non citiùs, *luteolis calthis*. Sed quantò minus concinnitatis, teneritudinis & deliciarum hic poſterior modus habuiſſet!

Lanea dum niveâ circũdatur infula vittâ, Georg. III

tuque ipſa piâ tege tempora vitta, Æneid. IV.

Infula cui ſacrâ redimibat tempora vittâ. x. l.

ut videas ex conſtantiâ in carmine illigando *vittâ* potiùs, quàm vittis, amaſſe Virgilium primam vocalem, ac tertiæ anteposuiſſe ad lætitiam carminis. Quin & perſpicuitatem iſtiuſmodi gratiæ poſthabuit, uti ſuo loco diximus;

vel mixtâ rubent ubi lilia multâ

Alba rosâ. XII. Æneid.

Quam jucunditatis ſpeciem ſi Tullianâ vis autoritate firmatam; ubi denſiorem uſum, amoremque clariorem hujuſce invenias ſuavitatis, quàm primo Paradoxo? *aut auri atque argenti ad avaritiam, aut amœnitatum ad delectationem, aut ſupellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates.*

Aſperum reddit verſum canina quæ dicitur littera; idcirco affectata VI. Æn. ubi agitur de cane inferno.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat, adverſo recubans immanis in antro.

Strepitum exprimit I. Georg. *aridus altis*
Montibus audiri fragor, & reſonantia longè
Littora miſceri, & nemorum increbreſcere murmur.

ibidem:

Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando!

Sic & ſecundâ conſonante præpoſitâ ſonum ab incendio creatum refert l. VII. Æn.

flamma crepitante tremari.

Laborem refert III. G. *Ergo ægrè raſtris terram rimantur.* Iræ ſervit Æn. IV. *Terra parens irâ irritata deorum.*

E atque *I* ſonum habent tenuem : *V* conſonans vaſtitatem inducit.

vaſtos volvunt ad littora fluctus.

At *exiguus* Virgilio, *ridiculus* Horatio *mus*, vocali non grandeſcit. Quarta vocalis omnium pleniſſima, præque omnibus ſonora eſt. Vnde & *I* & *V* ſæpe in *O* vertuntur ; illi in *olli* ; vultus in *voltus* : quemadmodum à Comicis *V* pro *I* uſurpatur ; *maxumè* pro maximè ; & paſſim à veteribus pro *E* ; *juridicundo*, pro juridicendo. Egregiè temperati ſunt hi verſus conſonantium & vocalium coagmentatione ad rem exponendam.

Lamentis, gemituque & fœmineo ululatu
Tecta fremunt ; reſonat magnis plangoribus æther,
IV. Æneid.

I. l. *Torquet agens circùm, & rapidus vorat æquore vortex.*

& XI. *Nunc rapidus retro, atque æſtu revoluta reſorbens*
Saxa, fugit.

Vim ſonumque conferunt, & ipsâ crebritate augent commiſta artificioſè elementa. Vnum verò maximè eminet, valetque ad rei granditatem commonſtrandam in hoc prædicti libri carmine.

Mitteret in magnum imperium metuenſque moneret.

Nec verò Sigma omittendum, quod aptè commiſſum, ac colliſum, apprimè ſervit idem & laborioſis rebus & jucundis variè ſignificandis : ut, *Spumas ſalis ære ruebant*, I. Æn. plus etiam, ſi dicas :

Et tumidum ſulcant roſtris ſtridentibus æquor.

Gratiſſimè

Gratiſſimè autē aſſonat: *Hîc molles ſtrepitant auræ.* Ac quoniam ſymbolam conferre inſtitui; plenius addam exemplum doctrinæ ſuperioris ex Hymenæo Regio.

Ibat Majeſtas rutilâ turrita coronâ:
Lilia regalem pinxerunt aurea pallam,
Cæruleam, ingentem; longè latéque fluentes
Ponè ſinuſque legunt, gemmantiaq; agmina Nymphæ.

De Burdigala. *Lætos urbiſque arciſque fragores*
Pulvereo tormenta rotant mavortia nimbo:
Et quæ vaſta premunt lunati cornua portûs,
Condenſæ tonuere rates reboantibus undis.

Plura afferam in hoſce uſus, ſi priùs quædam interſeruero ex Tullio Fabioque obſervata. *Purrum* (ait in Oratore Cicero, cujus ceteras litterarum & vocum notationes, tum ſcribendi, tum pronunciandi non commemorabo, cùm ſit expoſitus obviuſque locus) *Purrum ſemper Ennius, nunquam Pyrrhum... nec enim Græcam litteram adhibebant.* Et Fabius in hac parte lenitatem Græcæ linguæ præ Latina agnoſcit, quòd uſum Græci nullum habebant inficetæ duræque litteræ *V.* (atque hinc eos redarguas, qui nunc ypſilon tanquam *V* pronunciant.) Idemque; *jucundiſſimas*, inquit, *ex Græcis litteras non habemus, vocalem alteram, alteram conſonantem; quibus nullæ apud eos dulciùs ſpirant; quas mutuari ſolemus; quoties illorum nominibus utimur. Quod cùm contingit, neſcio quomodo velut hilarior protinus renidet oratio, ut in Zephyris & Zopyris: quæ ſi noſtris litteris ſcribantur, ſurdum quiddam & barbarum efficient, & velut in locum earum ſuccedent triſtes & horridæ, quibus Græcia caret... Itaque tantò eſt ſermo Græcus Latino jucundior, ut noſtri poëtæ, quoties dulce carmen eſſe voluerunt, illorum id nominibus exornent.*

Nunc exempla apponam duo poëticæ dictionis in genere diverſo, & adverſis omnino argumentis, Deſcriptiones geminas, unam regionis amœniſſimæ, qualis Geneſ. c. 11. depicta in Epithalamio Regio canitur; alteram loci penitùs horrendi, qualis alienato à ſenſibus animo Ioſaphati conſpectus effingitur.

HORTUS EDENEUS.

Fortunatus ager, Naturæ prima voluptas,
Terrigenam hoſpitiis regniſque excepit amœnis.
Quadrifidi in medio latices; caput amnibus, ingens
Fons erat, electro ſalientes purior undas:
Pictaque ceu ſtellis, & mille induta colores
Area lucebat, marceſcere neſcia, florum;
Per virideſque toros argentea lilia fontis
Labra coronabant, & purpurei narciſſi.
Circùm & odorati nemoris, fetuque gravati
Ambroſio, tremulas zephyris ludentibus umbras
Miſceri aſpiceres. blando ſtrepitantia plauſu
Inter ovans folia, & ramos arguta per omnes
Gens volucrum, dulcemque choro meditata camœnam,
Mulcebat vitæ ſilvam fatique potentem.
Non illuc morbis aditus, curvæque ſenectæ:
Nondum peſtifero corruperat omnia flatu
Tartareus coluber, mortemque induxerat orbi,
Lividus ab nimiùm, & maleſuado callidus ore.

BARATHRUM TARTAREUM.

Antrum horrendum, immane, ardens, fornacis ahenæ
In ſpeciem, cæca medium tellure dehiſcit,
Præcipites volvens populos, & ſulfure inundans
Conglomerat piceo fumantes igne tenebras.

Segniùs Ætnæis concepta incendia venis
Perpetuam eructant nubem, fundoque Veſevi
Montis anhelantes rumpunt ſpiracula flammæ.
Ipſæ ardent, ipſæque avidis congeſta caminis
Inconſumptæ animæ feralia pabula præbent.
Flammam inter ſtygiæ, genus implacabile, peſtes
Mille voluminibus ſerpunt; atroque veneno
Spumantes, rabido convellunt intima morſu.
Admovet ipſa faces, diriſque armata flagellis
Conſcia Mens inſtans æterno verbere ſævit:
Præcipiteſque acti cœlo, fera turba, rebelles,
Lucifugi, immanes, ſimileſque draconibus ora,
Tortores, gens tota, & inexſaturata nocendo.
Vinclorum tractu horriſono, crepituque reſultat
Plagarum, & vaſto miſtum plangore barathrum.
O furor! ô rabies &c.

Circa elocutionem poëticam alia capite proximo & conſequentibus pertexentur.

DE NOMINIBVS FABVLOSIS ET SACRIS, DEQVE EPITHETIS.

CVm inanium commentitiorumq; deorum actiones in carmina Chriſtiani poëtæ non admittam, niſi contemptim & quibuſdam in ludicris (ut ſupra dixi;) eorum non tamen penitùs à feriis & ſacris nomina excludo. Iovem pro cœlo dicere conceditur; *sereno ſub jove*; *ſub dio*: Neptunum pro mari, vel etiam aquulâ, Maronis exemplo, de apibus, quas *præceps neptuno immerſerit Eurus*: Martem pro bello; *ſin noſtrum annuerit nobis victoria martem*: pro igni, *vulcanum ſpargere tectis*; *perfudit nectare veſtam*: pro frugibus, cererem; pro vino lyæum, bacchum, liberum; pro funere, libitinam. Phœbus, apollo, jam de ſole,

jam de ſpiritu poëtico uſurpatur : minerva de lanificio, de arte qualibet, ipſaque naturâ & indole; diana de venatione ; muſæ de ingenuis artibus, poëticis maximè : quidni & Olympiæ Muſæ, aut Camœnæ de Choris novem beatarum Mentium, aſſiduè laudes canentibus divinas, humanaſque mentes afflantibus ?

In Divinis quoque litteris Titan, Orion, Cocytus, Arcturus, Hyades leguntur. *non quòd* (ut animadvertit Hieronymus ad Fabiolam epiſt. cxxviii.) *eadem apud Hebræos vocabula ſint ; ſed quod non poſſumus quæ dicuntur, niſi conſuetis vocibus intelligere,* nedum enunciare poëticè. Cui M. Gregorius concinens in Iob libro ix. *nequaquam,* inquit, *ſermo veritatis vanas Heſiodi, Arati & Callimachi fabulas ſequitur.. in ſacro eloquio ſapientes Dei ſermonem trahunt à ſapientibus ſeculi.* Et verò is, qui *ſapientiam loquitur inter perfectos* Paulus, ſententias ipſas à profanis tribus poëtis adſciſcere eſt dignatus ; ex Arato, in Actis Apoſtolicis ; ex Menandro, epiſtolâ priore ad Corinthios ; ad Titum, ex Epimenide, quem ibi proprium Cretenſium prophetam appellat. Videſis quæ ſparſim libro ſecundo, at præſertim Appendice primi libri de fabuloſis tradita ſunt nominibus, *rerum vocabulis, non deorum.* Quædam tamen aptiſſimè, nec ſolùm ex uſu inſtitutoque poëtico, ſed ex ipſa nativa ſignificatione ſumuntur ; Nymphæ pro puellis & ſponſis &c. Verùm omnino teneatur in hac parte, ſicuti monuimus, illa præſcriptio, ut ne ſuperſtitioſa nomina ſacris perſonis temere imponantur.

Actiones quidem fabuloſas in ſacro etiam argumento per ſimilitudinem adhiberi poſſe dixi, velut fabuloſas, iiſdem ſimul rejectis veras ex Chriſtiana diſciplina ſupponendo. ut Parthen. l. 11.

Tum furiæ inſultant; non quales fabula Diras,
Tartaream canit Alecto, geminaſque ſorores,
Sanguineas pallam, & colubris ſtridentibus hirtas,
Verberibus piceiſque accingi in crimina tædis.
Sævior hîc facies: & deſperantia corda
(nec requies) agitat factorum conſcius horror,
Ac toto incumbens æternum pondere fatum &c.

Sed moveri de hac, quæ modò enunciata eſt, re ac voce quæſtio poteſt. Sunt enim, qui nefas putent homini Chriſtiano, fati nomen uſurpare: quippe quo inducatur ſæva Neceſſitas, *claves trabales & cuneos manu geſtans ahenâ*, ut loquitur Horatius. Scrupulum eximat Auguſtinus l. v. de Civ. Dei c. VIII. *Qui verò non aſtrorum conſtitutionem, ſicuti eſt cùm quidque concipitur vel naſcitur, vel inchoatur; ſed omnium connexionem ſeriemque cauſarum, quâ fit omne quod fit, fati nomine appellant: non multùm cum eis de verbi controverſia laborandum atque certandum eſt: quandoquidem ipſum cauſarum ordinem, & quandam connexionem, Dei ſummi tribuunt voluntati & poteſtati; qui optimè & veraciſſimè creditur & cuncta ſcire, antequam fiant, & nihil inordinatum relinquere; à quo ſunt omnes poteſtates, quamvis ab illo non ſint omnium voluntates. Ipſam itaque præcipuè Dei ſummi voluntatem, cujus poteſtas inſuperabiliter per cuncta porrigitur, eos appellare fatum ſic probatur. Annæi Senecæ ſunt, niſi fallor, hi verſus:*
Duc me Pater, celſique Dominator poli
* * * * * * *
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.
Nempe evidentiſſimè hoc ultimo verſu ea fata appellavit, quam ſuprà dixerat ſummi Patris voluntatem, cui ſe paratum obedire dicit &c.

In eandem ſententiam à Chriſtiano Philoſopho

jam de ſpiritu poëtico uſurpatur : minerva d lanificio, de arte qualibet, ipſaque naturâ & in dole diana de venatione ; muſæ de ingenuis ar tibus, poëticis maximè : quidni & Olympiæ Muſæ aut Camœnæ de Choris novem beatarum Men tium, aſſiduè laudes canentibus divinas, huma naſque mentes afflantibus ?

In Divinis quoque litteris Titan, Orion Cocytus, Arcturus, Hyades leguntur. *non quòd* (u animadvertit Hieronymus ad Fabiolam epiſt. CXXVIII.) *eadem apud Hebræos vocabula ſint*; *ſed quod non poſſumus quæ dicuntur, niſi conſuetis vocibus intelligere*, nedum enunciare poëticè. Cui M. Gregorius concinens in Iob libro IX. *nequaquam*, inquit, *ſermo veritatis vanas Heſiodi, Arati & Callimachi fabulas ſequitur.. in ſacro eloquio ſapientes Dei ſermonem trahunt à ſapientibus ſeculi.* Et verò is, qui *ſapientiam loquitur inter perfectos* Paulus, ſententias ipſas à profanis tribus poëtis adſciſcere eſt dignatus; ex Arato, in Actis Apoſtolicis; ex Menandro, epiſtolâ priore ad Corinthios; ad Titum, ex Epimenide, quem ibi proprium Cretenſium prophetam appellat. Videſis quæ ſparſim libro ſecundo, at præſertim Appendice primi libri de fabuloſis tradita ſunt nominibus, *rerum vocabulis, non deorum*. Quædam tamen aptiſſimè, nec ſolùm ex uſu inſtitutoque poëtico, ſed ex ipſa nativa ſignificatione ſumuntur; Nymphæ pro puellis & ſponſis &c. Verùm omnino teneatur in hac parte, ſicuti monuimus, illa præſcriptio, ut ne ſuperſtitioſa nomina ſacris perſonis temere imponantur.

Actiones quidem fabuloſas in ſacro etiam argumento per ſimilitudinem adhiberi poſſe dixi, velut fabuloſas, iiſdem ſimul rejectis veras ex Chriſtiana diſciplina ſupponendo. ut Parthen. l. II.

Tum furiæ inſultant; non quales fabula Diras,
Tartaream canit Alecto, geminaſque ſorores,
Sanguineas pallam, & colubris ſtridentibus hirtas,
Verberibus piceiſque accingi in crimina tædis.
Sævior hîc facies: & deſperantia corda
(nec requies) agitat factorum conſcius horror,
Ac toto incumbens æternum pondere fatum &c.

Sed moveri de hac, quæ modò enunciata eſt, re ac voce quæſtio poteſt. Sunt enim, qui nefas putent homini Chriſtiano, fati nomen uſurpare: quippe quo inducatur ſæva Neceſſitas, *clavos trabales & cuneos manu geſtans ahenâ*, ut loquitur Horatius. Scrupulum eximat Auguſtinus l. v. de Civ. Dei c. VIII. *Qui verò non aſtrorum conſtitutionem, ſicuti eſt cùm quidque concipitur vel naſcitur, vel inchoatur; ſed omnium connexionem ſeriemque cauſarum, quâ fit omne quod fit, fati nomine appellant: non multum cum eis de verbi controverſia laborandum atque certandum eſt: quandoquidem ipſum cauſarum ordinem, & quandam connexionem, Dei ſummi tribuunt voluntati & poteſtati; qui optimè & veraciſſimè creditur & cuncta ſcire, antequam fiant, & nihil inordinatum relinquere; à quo ſunt omnes poteſtates, quamvis ab illo non ſint omnium voluntates. Ipſam itaque præcipuè Dei ſummi voluntatem, cujus poteſtas inſuperabiliter per cuncta porrigitur, eos appellare fatum ſic probatur. Annæi Senecæ ſunt, niſi fallor, hi verſus:*
Duc me Pater, celſique Dominator poli
* * * * * * *
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.
Nempe evidentiſſimè hoc ultimo verſu ea fata appellavit, quam ſuprà dixerat ſummi Patris voluntatem, cui ſe paratum obedire dicit &c.

In eandem ſententiam à Chriſtiano Philoſopho

Boëtio deſcribitur l. IV. de Conſol. *Fatum, inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam Providentia ſuis quæque nectit ordinibus*. Quid, quòd *ſortis* nomen, perinde ac fortunæ fatique invidioſum & profanum, ſacris frequentatur oraculis? Purgata igitur fati fortunæque notio videtur, ac tutò Chriſtianæ vox utraque poëſi permittenda. Sin crudè ſumitur, prorſuſque ethnicè,

Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum, Æn. VIII.
(quanquam eodem libro affirmatur; *nec fata negabant ſtare, decemque alios Trojam ſupereſſe per annos*: unde non fatali neceſſitate Trojam cecidiſſe colligitur, & *aſyſtata* fuiſſe veterum inter ſuperſtitiones dogmata:) tum, revocato ad veritatem & religionem impio ſenſu, dixerim in Genethl. Delphini:

Diſce tuis, Auguſte Puer, proludere fatis,
Quæ non Parca vetus fragili currentia fuſo
Temperat, aut ſtellæ vis imperioſa coërcet.
Fortunam fatumque tibi Sapientia finget,
Clarior & ſtellis Virtus, cæcaſque regentum
Arbitrio ſortes Divûm juſtiſſima cura.

Iam, ut fabularum hoſtibus ferenda ſunt fabuloſa nomina; ita Mythologiæ amantibus nequaquam reſpuendus eſt uſus Chriſtianarum vocum, ſeu Græcarum, ſeu Latinarum. *Theander*, nihilo certè auſterior vox, quàm Leander: & immenſam habet energiam, quæ Deum & hominem ſonat. Neque in hoc ſita laus eſt puri ſermonis, ut à *Martyris* aut *Angeli* verbo funditus abſtineatur. Quid tamen hominibus facias haud mirificæ Latinitatis, qui nomina iſtiuſmodi & à politiſſimis autoribus frequentata, & ipſo Religionis inſtituto conſecrata, velut ſanctitati linguæ inimica & leporis venena execrentur? His equidem uti non timeam, ſed moderatè. & verò gra-

viùs elegantia circumducto ſemper ad hos quaſi ſcopulos vitandos ſermone corrumpatur.

Adde quòd multa quæ videntur Eccleſiaſtica inventa, extant apud veteres; hæreſis apud ipſum Tullium; apud eundem, itidemque apud Ovidium, myſteria; apud Virgilium & Tibullum myſtica. in Faſtis *dixere Chariſtia cari.* Notatum jam alibi fuit, verba quædam eſſe ab ethnico ſenſu in Chriſtianum flexibilia; velut Charites; quæ fictæ à profanis deæ, divina intelliguntur à piis dona; velut Fides, quæ inſtar numinis apud antiquos illos obtinebat; nobis Virtus eſt, ſed poëtica, item ut Gratiæ, effingitur perſona. Delrius in ſuo erudito Syntagmate Tragœdiæ, fanorum oraculorumque antiſtites, Prophetas nominatos refert. ego vatem libentiùs appellarim, quàm Propheten; ac Martyrem parciùs, quàm Dei Teſtem, aut Pugilem Chriſti. *Et confeſſis quoque Græcis utimur verbis, ubi noſtra deſunt* (ait Quintilianus;) *ſicut illi à nobis nonnunquam mutuantur.* At ubi commodè, breviter, decorè, in Latinam Græca dictio vertitur, noſtram ſanè malim quàm externam. Apoſtolum in carmine Legatum Chriſti rectè dixeris; quod & nomen ſignificat, & Apoſtolus ipſe fungi ſe legatione pro Chriſto teſtatur. Sed ordines cunctos Cœlitum, myſteriaque omnia Chriſtiana poëticè explicandi viam ſuperioribus documentis exempliſque aperuimus, compluraque deinceps in eundem uſum afferemus; tum verò poëmatum libris quàmplurimis, ac tertio nominatim & quarto Parthen. de Sanctorum claſſibus omnibus loquendi cum aliquâ dignitate poëticâ, facilis eſt variaque forma & ratio propoſita. Nunc ad Epitheta veniamus.

Inſignem hunc ornatum poëſeos, qui nominibus appoſitis continetur, in Arte Metrica luculen-

tiſſimè pertractavit Laurentius Cellerius: qui noſtra aliqua, præſertim ex Inſula Fortunata, adducere in exemplum non eſt gravatus.

Poſtquam ſanguineo feralis crine cometes
Terruit aſpectu populos, flammæque minacis
Prodigio ardentes Superûm circumtulit iras.

Officioſa, quibus hunc locum illuſtravit, verba prætereo: ac breviter dico, ſpectandam primùm in Epithetis proprietatem; ne puello, ex. c. tribuantur ingentes artus, viro bellicoſo teneræ manus. Equidem haud capere me fateor convenientiam illius appoſiti, quo ſub initium Odyſſeæ vocat Ægiſthum Homerus *inculpatum*, quem continuò ipſius ore Iovis adulterum & homicidam, ac Minervæ ſententiâ jure cæſum pronunciat. An verò conſentaneum illud epithetum Buchanani in paraphraſi pſalmi primi?

Ergo ubi veridicus judex in nube ſerena
Dicere jus veniet.

Longè aliter cœleſtis vates Daniel c. VII. *Thronus ejus, flammæ ignis; rotæ ejus, ignis accenſus.* Quem ad locum, & alios propheticos evangelicoſque reſpiciens, eodem pſalmo ita cecini.

Ergo coruſcâ *cùm reos Judex Tonans*
E' nube mortales aget.

ac l. Theandr. II. Effato altero:

Crux ubi fatalis, cæloque inſcripta rubeſcet
Sanguineo fulgore minax; *ſimul arduus* igneâ
Nube ſedens Judex &c.

Proprium illud quidem, ſed languidum Claudiani, quem ipſi Virgilio præcellere epithetis lectiſſimis nonnemo credidit. *heu* fulvas *animo tranſgreſſa leænas.* Sævas dixiſſet, aut Libycas. *Tacent, & ora pallor* albus *inficit*, Horat. impletur verſus appoſito, non ornatur. Atqui hæc germana epitheti præſtantia eſt, non ut abſonum

diſcorſque rei ne ſit, ſed dignitatem ut habeat, ingenium, eruditionem; ut alludat ad hiſtoriam, ad fabulam; neque aures modò, ſed animum impleat.

Simplicia quæpiam videntur & otioſa, quæ ſenſu haud vulgari feta ſunt: quale illud Virgilii; *cæduntque ſecuribus* humida *vina*: Diligentiùs attendenti movetur admiratio tam inuſitatâ præterque naturam ſectione; ex quâ frigoris in regione Hyperboreâ concluditur incredibilis horrendaque vis. id quod expertus Naſo pluribus exponit in Triſtibus.

Nudaque conſiſtunt, formam ſervantia teſtæ,
Vina; nec hauſta meri, ſed data fruſta bibunt.

Sic *magnum* Baptiſtam cùm appello; quod eſt multis commune, proprium efficitur ex illo, quod mihi obverſatur, Divini Oratoris pronunciato; *erit enim magnus*. Euphratem magni fluvii nomine deſignavi; quòd magnum antonomaſticè flumen in ſacris codicibus Euphrates nominetur. Sic *duros* nuncupavi Iudæos, aliâ ratione quàm Maro Æneadas; cùm ſua pervicaci refractarioque illi populo durities à Moſe, à Stephano, ab ipſo Deo toties fuerit exprobrata. De voce, *Alma*, quæ Virginem abſconditam ſignificet; de lingua biſulca, vel bifida venenati ac peſtiferi Neſtorii, aliâ jam occaſione expoſui.

Subjectæ nominibus propriis notiones, quâ ſignificationum vi & poteſtate Hebraica vocabula excellunt, peramplam ſegetem epithetorum unicè perſonis congruentium peperêre, Hinc ſalutifer IESVS, ſtellata MARIA, illuſtris Samſon, Salomon pacificus à nobis denominantur.

Parentum in liberos, majorum in poſteros nomina tranſeunt. inde Alcides, Laertiades, Telamonius Ajax, Daunius héros; Cecropidæ, Romulidæ, Similiter ex hiſtoria ſacrâ per analogiam

dicuntur Adamigenæ, Abramidæ, Iſacidæ. Noemus, patronymico nomine Lamechides; Moſes, Amramides; Ioſue, Nunniades; Iſaïas, Amoſides; David, Ieſſides, ex Græca verſione Iſaï, ut ſe habet Hebraïcè pater Davidis, in Ieſſe. atque hinc Deipara, Ieſſeïs; & Ieſſea, aut Ieſſeïa Virgo.

A loco, ubi quis ortus, aut dominatus, aut commoratus, viris cognomenta formantur. in profanis, Smyrnæus vates, Homerus; Mycenæus ductor, Agamemnon; Pellæus juvenis, Alexander: in Sacris; David, Ephratæus à patria, ſive Bethleus; Chriſtus, Nazarenus ab oppido, ubi conceptus educatuſque fuit, ſed magis à ſanctitate florentiſſimâ (quæ gemina eſt Nazarethi interpretatio) vocitatur.

A viris loca viciſſim, urbes à fundatoribus eorúmve progenitoribus, regiones à principibus cognomina traxerunt; Amphioniæ Thebæ, Troïca Roma; Achæmenia Perſis, in quâ regnavit Achæmenes; arx Davidica, Sion, quam David & condidit, & regni ſedem conſtituit.

Brutæ quoque animantes cognominantur à gentibus, apud quas reperiuntur, & à terris natalibus: Pœni leones, Hyrcanæ tigres, Strymoniæ grues. Arbores item, aliaque inanima: palmæ Idumææ, roſæ Ierichuntinæ; thura Panchæa, balſama Iudæa; marmor Parium, ebur Indicum. Miſſa facio epitheta arborum à diis umbraticis, quibus dicatæ; Phœbea laurus, oliva Palladia &c. Loca etiam à locis majoribus, quibus aut continentur, aut annectuntur: Ida Phrygia, Pachynus Siculus. Itidem opera ab opificum vel nomine, vel patriâ: ut arma vulcania, à Vulcano fabricata; ut Venus Coa, ab Apelle Coo picta. Arpinas chartas vocavit Martialis orationes à Cicerone ſcriptas, homine Arpinate; Maro Sy-

racoſium verſum, paſtoralem, à Syracuſis, ubi natus erat Bucolici carminis princeps inter Græcos Theocritus. Et artefactæ perſonæ ab artificibus agnominantur: Iuppiter Phidiacus, ſculptus à Phidia (dictus & Olympius, quod ſignum in urbe Olympo collocatum, & ludorum celebritate cultum;) Achilles Homericus, Æneas Virgilianus; quales ab Homero & Virgilio inducuntur.

Ejuſdem ſunt generis Dardana Paridis tela; Evandrius enſis, quem Pallas ab Evandro patre acceperat; Euboicæ Cumæ, à colonis ex Eubœa in Italiam deductis; Xanthus & Simoïs; amnes Hectorei, ab accola clariſſimo: maria, Tyrrhenum, Adriacum, à terris quas alluunt; Ægeum, Icarium, à fabuloſis caſibus: arcus Parthici, ſpicula Cydonia, à populis ſagittandi peritiſſimis. Placuere iſtiuſmodi magnis vatibus appoſita, quibus inſignitur carmen, doctrinæ lumen oſtenditur.

Præclara etiam perſonis epitheta ab adjunctis, à moribus, à dictis factiſque tribuuntur. Profanis ubique occurrentibus ſuperſedeo; de ſacris hæc ſunto: corniger Moſes, Petrus claviger; Elias igneus, & fulmineus ab incenſo Divinæ gloriæ ſtudio, ignique de cœlo ter devocato; Iacobus & Ioannes, verè fratres tonantes, fulminei, qui & à Domino *filii tonitrui* fuêre cognominati, & fulmen elicere in Samaritas cogitarunt. Deboram, palmarem appellavi; tum quia jus populo dicebat ſub palma ſedens, tum quòd vates eadem autorque extitit victoriæ.

Metaphorica imprimis appoſita carmini ſplendorem accerſunt. lorica fidelis, quæ ictum ſuſtinuit, vulnus prohibuit; perfidus enſis, qui fragilis dominum in ipſo feriendi impetu deſeruit, prodidit. A ſenſibus maximè tranſlationes petuntur. cœcus

ignis, amor occultus, inconſideratus: cœca nox, via cœca; id eſt, tenebroſa. malos conſcientia *ſurdo verbere cædit*; arcano, quod ab aliis non audiatur; ex Iuven. Et quæ ſunt unius ſenſûs, ad alium referuntur; ut ſurdum palatum, cui ſuaviſſimi non ſapiant cibi; ſeu ſtupens hebeſque animus, qui laudis guſtum virtute, ingenio, doctrinâ partæ non habeat.

Paradoxa quædam epitheta dixerim, quæ ſpecie aliquâ repugnantiæ admirationem excitent; ut poſtremum illud, & hæc Virgiliana antitheta:

Mortaline manu factæ immortale carinæ
Fas habeant, certuſque incerta pericula luſtret?

Talia & Claudiani iſta de Sirenibus: *dulce malum pelago, blanda pericla, terror gratus.* feſtivè Propertius *victrices moras* appellauit Fabii illius, qui prudenti cunctatione Annibalem fregit: nos victrices fugas piorum Aulæ Deſertorum,

Quos non-inaudax, providus & timor abegit.

Sed illam præcipuè victricem ac palmarem fugam Ioſephi nominarim, qui libidinem aufugiendo ſuperavit, palmamque retulit immortalem.

Ampliſſimi vir ingenii, quem philoſophicæ ac theologicæ curæ, munerumque ſacrorum adminiſtratio muſis humanioribus inviderunt, cujúſque in lucem plura exire poëtica boni interfuerit publici; P. Caſdepazius, nihil non exquiſiti in epithetis ferens, his elegantiſſimis uſus eſt lyricè.

Sic gemmæ pretium eſt Oceanitidi.
*** Augetur pretium nomine barbaro,*
Famoſiſque periculis. & infrà.
Laudabit Triadem relligioſiùs miratrix taciturnitas.

Cuncta ferme epithetorum hactenus tractata genera extant in proximis de Cretica expeditione carminibus, orationis fragmento, quam urbi Candiæ affinximus. *Alter*

Alter inexplicitos Creſſâ labyrinthus in orâ
Texuit anfractus caſtrorum, altiſque tetendit
Aggeribus foſſiſque minax ingentia ſepta:
Efferaque horrificis emittit monſtra cavernis,
Pinguia jàm noſtro, necdum exſaturata, cruore.
Mille per ambages, effoſſaque viſcera terræ
Serpit, & obſcuræ creſcit vis addita fraudi:
Martis & accendit furias vulcania peſtis.
Suggeſtu vario, & crebra ſtatione tonantes
Conſpirant baſiliſci; & ahena fauce procellam
Sulfuream, immaniſque intorquent fulmina maſſæ.
Ictibus inſanis tremefacta remugiit Ida:
Diſſultant muri, & foſſas ſtravêre profundas;
Ac mea jam vaſtæ nudant præcordia labes.
Tartareis, credo, erumpens fornacibus ardor
In cinerem aërias ſuccenſo pulvere turres,
Colleſque ſcopuloſque & propugnacula vertit.
In me armata, meis confuſa elementa ruinis.

Supereſt, ut ſitum & ordinem, quo ſint epitheta collocanda; denique, an plura unum recipiat vocabulum, paucis exequar. Concinnè permiſceas hæc adjectiva, quæ vocantur, nomina. *Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo*, Æn. IV. At ſemper disjungi à verbis, quibus apponuntur, adeo non eſt neceſſe, ut ſæpe rectiùs cohæreant; quemadmodum, ejuſdem Æn. I. *matris Ledæ mirabile donum*; & VII. *examen ſubitum ramo frondente pependit.* &c.

Quod autem præponi debere appoſitum nomini, vulgo docetur; id ego, ſi ita plerumque faciendum eſſe intelligunt, facilè patior: ſin perpetuum id eſſe volunt, nullus aſſentior. Iulius quidem Scaliger in Hypercritico cenſuram adverſus Horatium diſtringens, illud ex ode XXIX. l. III. *Sole dies referente ſiccos*, his notat verbis. *Hæc ſemel monui, epitheta quæ in fine verſuum exiſtunt,*

ſæpe eſſe argumento coactæ locutionis, quaſi ſint carminis ſupplementa: iccirco malim hîc; Sole graves referente luces. Nimirum arguere facilius eſt, quàm emendare. ac multa jure Hypercriticus in poëtis, nonnulla in Horatio fortaſſe reprehenderit (quanquam idem, nec raró, improba probat, proba improbat:) ſed ubi aliqua mutare inſtituit; non ille prava corrigit, ſed aut recta depravat, aut fœdiùs vitioſa diſtorquet. id quod alicubi ſapienter animadverſum à Balzacio memini; expeditaque foret inductio frequentium erratorum, ni parcerem & tempori & chartæ. Hunc certè locum ecquid correctione deteriorem fecit? nam Horatiana illa, ſolida & ſonantia; hæc ſubſtituta, quantò languidiora!

Ad rationem Scaligerianam & admonitionem quod attinet; memorem eſſe oportuit Cenſorem illius ſuæ in Claudianum animadverſionis: *& diræ riget inclementia formæ. Sanè bene præponitur epithetum; non tamen ſæpè optimè. jam vidimus illud Maronis; & vinclis innaret Clœlia ruptis. Sic puto accuratius futurum fuiſſe; & formæ riget inclementia diræ. nam ſuſpenſus animus in forma, expectat cujuſmodi futura ſit. & diritas eſt in ipſa voce diræ: qui ſonus explet animum in fine orationis.* Vnum attulit è Virgilio exemplum: innumera potuit, nec verò neceſſitate, ſed arte in epithetum deſinentia carmina producere.

Et vada dura lego ſaxis Lilybeïa cæcis. Æn. III.
caſus cognoſcere noſtros, II. *caſus cognoſcere tantos,* III.
criſtaque tegit galea aurea rubrâ. IX. &c.

His accedat autoritas Quintiliani, cujus hæc ſententia eſt. *Illa nimia quorumdam fuit obſervatio, ut nomina appoſitis, & pronominibus rurſus eſſent priora. nam fit contra quoque frequenter non indecore.* At idem cùm alibi dixiſſet nudam ſine ap-

poſitis & velut incomptam eſſe orationem: *ne oneretur tamen multis*, præcipit; *quanquam non ſingula modò, ſed etiam plura verba apponi ſolent: ut, Conjugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo. ſed hoc quoque modo duo verba uni appoſita, ne verſum quidem decuerint.* Decorum id tamen viſum Maroni in ſuis verſibus. *Multaque dura* ſuo triſti *cum corde putabant.* maluit *triſti*, quàm triſtes, quod poterat: ſed illud aptius judicavit. Nec verò plura quoque nomina refugit, numerale, gentile, cum alio qualitatem aut ſimilitudinem aut officium aliquod ſignificante.

Gnoſſia bina dabo levato lucida ferro ſpicula, l. v. *ingens inventa ſus, fetus enixa, alba, ſolo recubans:* quæ omnia III. & VIII. congeſſit, ac participia maximè accumulat.

Altera candenti perfecta nitens elephanto &c.

Multiplicantur autem ornatiſſimè, cum inciſe dicitur, epitheta. *Monſtrum horrendum, informe, ingens.* Quæ appoſitorum coacervatio noſtris in illis de SS. Trinitate carminibus apparet.

Supremam Virgo ad ſedem & penetralia ducit
Æternam, auguſtam, immenſam glomerantia lucem:
Omnipotens quo ſe Trias incomprenſa receſſu
Sepſit, adorato in ſolio; circumque tremendis
Majeſtatem adytis vallans, fulgore coronat,
Cœlituumque beans inhiantia lumina paſcit;
Æternuſque Parens, Soboleſque æquæva Parenti,
Adſcitam ſervans hominis ſuper æthera formam;
Ac ſacer amborum nexus, Spirabilis Ardor.

Huc plura non adducam exempla, cum omnia ferè epithetis carmina colluceant: ſed uſum denique flexumque duplicem appoſitorum indicabo; videlicet, *adjectiva* (quemadmodum Grammatici loquuntur) *ſubſtantivè* ſumpta, jam nomen ipſum, cui ſerviunt, regere; ut, opaca locorum, pro,

opera loca ; jam *ſubſtantiva* ab eo nomine, cui apponuntur adjectivorum loco, regi & obliquari: quod Hebræis uſitatiſſimum eſt ; velut Deus *gloriæ*, pro, *glorioſus*. Latini alteram ita declinato epitheto vocem adjicere ſolent ; *centum puer artium*; Lælius, *pater elegantiarum*; & ſimilia ; quæ relinquo, ut tranſeam ad Schemata. quanquam hæc ita epithetis finitima cognataque ſunt, ut iis ſæpe implicentur, ornatiſſimoſque tali conjunctione verſus efficiant.

SCHEMATVM AC MOTVVM Exempla.

COgnitionem Schematum, quibus Tropi ac Figuræ ſubjiciuntur, ab arte repetendam oratoria præmonui capite hujus diſſertationis primò de Poëtica generatim dictione : multaque partium ambarum exempla diſſeminavi opere univerſo, ac ſpeciatim de tropis in proxima Epithetorum tractatione. nonnulla tamen hîc ego ſeparatim primùm diſtincteque proferam : deinde intermiſtam motibus ſilvam utriuſque formæ, troporum ac figurarum, exhibebo, ut inſtar aliquod proprio loco extet apparatûs varii, quo inſtruitur poëma & illuſtratur.

Robuſta quidem fuerit hujuſmodi ſimplex locutio ; *conſurgunt altè ſcopuli :* ſed validiorem illuſtrioremque dabit Hyperbole : *minantur in cœlum ſcopuli*. Sublimis hæc dictio ; *caput arduus effert* ; ſublimior tamen evadet, tropum ſi adhibeas ; *caput inter nubila condit*. Eleganter fluvii pro accolis per Metonymiam uſurpantur. ſic elegiacè ad Epiſcopum Principemque Monaſterienſem ac Paderbornenſem ſcripſit, in aula Gallica peræque ſpectatus, atque in ſchola, ſive poëtica &

oratoria, ſive philoſophica & theologica, Gaſpar. Ioſephus Charonerius.

Sequana te pridem cecinit, gratuſque Garumna:
Sponte ſua accedit, qui tibi plaudat Arar.

De caſta poëſi noſtrum illud iſocolon:

Dulciùs illimis purâ fons emicat undâ,
Caſtalius niveos qualis perfundit olores:
Gratior allucet nullo fax ſordida fumo,
Deliaca innubem qualis colluſtrat Olympum.

Illuminat quoque verſum Commutatio: qualis eſt illa ad Chriſtum patientem.

Noſter cauſa tui furor doloris;
Noſtri pœna tuus dolor furoris.

At Proſopopœia vel plurimum ad exornationem carminis valet: cujuſmodi figura frequentatur in poëmate, cui inſcripta eſt *Henrici Bethunii Archiep. Burdig. Immortalitas.*

Jam fortes animos & inexuperabile robur,
Pontificis referens, tutanda ubi jura ſacrorum,
Ingreditur, cœloque caput Conſtantia tollit,
Septa adamante ſinum, ſolidamq; amplexa columnam.
Heroæ addiderat ſe ſe Prudentia formæ,
Sublimi ſtellatam oculo prætendere virgam
Sedula. quam ſequitur placidæ Concordia fronti
Innexis oleæ foliis; turbamque volentem
Ac proceres molli ducens, nec languida, vinclo.
** * * * * feſto gratatur carmine victrix*
Relligio. capiti ſtat gemmeâ luce tiaras;
Sanctaque adorato præſcripſit nomine frontem
Lamina, & incenſo radiorum fulgurat auro.
Palla ſuperfluxit candentem hyacinthina byſſum:
Fimbria puniceo circumſonat aurea limbo. &c.

Longius foret, pro inſtituti mei ratione, Schemata ſingillatim perſequi. compendio pleraque, & clariſſima colligantur duplici carminum genere in Domini cruciatum; exclamatio, apoſtrophe,

Quis cordi gemitus addat, ſuſpiriaque ori,
Ætherios imis accendens oſſibus ignes?
Quis meritas linguæ, immenſo pro munere, grates
Suggerat, atque eadem pro te, mea vita, ferendi,
Audaces animo ſenſus, nec inania vota?
Heu dolor, heu juſtâ conjurans turbidus irâ!
O Amor, ô dulci conſpirans fervidus æſtu!
Téne prius, Dolor acer & implacate, requiram?
Téne, Amor alme, vocem? Crudelis tu quoque Chriſto;
Crudelis Chriſto magis, an mihi blandus uterque:
Blandus uterque mihi, Chriſto crudelis uterque.
O lacrymæ, lacrymæ valido clamore ſonantes;
Supplicibus Chriſti votis & queſtibus actæ,
Purpureo frontis confuſæ oriſque fluento,
Elicite, ô, fletus ictâ mihi mente cruentos!
Ah flammæ! ah miſti bicolores ſanguinis undæ,
Unà ambæ lateris penetrali à fonte fluentes!
Urite me flammæ, luſtrales tingite lymphæ:
Sanguis alat flammas, animæque piacula ſolvat!

Huic motuum ſpecimen alterum adjungam, ſchematum item varietate diſtinctum, quo forma jambici carminis & dialogi commonſtretur; quodque, cum ſuperiori, ſtudioſis adoleſcentibus eſſe uſui poſſit, Academica declamatione exercendis (uti jampridem, ac diverſis in regionibus factum eſt;) nec modò ad pronunciationem conformandam, verùm & ad pietatis unà ſenſus motuſque concipiendos ſalutares.

DE CHRISTO CRUCIFIXO
PERIALGIS ET AGAPETI
Carmen Amœbæum.

Perialges. F*Leamus. ecquid Caucaſus præcordiis*
Tigreſque cauteſque incubant?

Fletu, cruore, morte jam jam oculi natant;
Extincta mundi ſidera.

Agap. *Clementiæ jam tota Divinæ patent,*
Iam ſe profundunt viſcera.
Ac dum per artus gelidus obrepit rigor,
Mortis propinquæ nuntius;
Cœleſtis ardor corde vivaces agit
Per denſa flammas vulnera:
Lethoque in ipſo, qualis extremo cadens
Sol axe, dulciùs micat.

Perial. *Sceleſtus, eheu, lancea exanimum latus*
Miles tremente perfodit:
Matriſque, eodem bis nocens ictu, piam
Mentem cruentat carnifex.

Agap. *Iô, receptus lateris effoſſi ſpecu,*
Latebra fida panditur:
Animaſque Chriſtus hoſpitas plagæ fovet
Salubris almo nectare.

Perial. *Fleamus. aut ſi temperare lacrymis*
Ingrata poſſunt lumina;
Ah, digna fletu lumina æterno, pice
Fumans Avernus terreat.

Agap. *Amemus. aut ſi nil ahena molliunt*
Amoris ignes pectora;
Odiis nefanda capita congeſtis premens,
Væ, terra cœlumque obruat.

Satis hæc ad ſpecimen & Schematum & Metuum fuerint: alia ſi requiris, abunde ex iis, unde iſta compluráque ſuperiora excerpta ſunt, libris ſuppeditabunt, de Chriſti potiſſimùm acerbiſſima & immenſa dolorum ignominiarumque perpeſſione. Gaudii quoque motus, ac reliqui, præcipuè leniores affectus, paſſim repræſentabuntur conſecuturis hujuſce poëticæ partibus.

DE STYLO VARIO.

FIguris compendiariâ viâ percurſis, ad generalem quaſi figuram & characterem poëmatis univerſi provehor; non ut cujuſque generis maximè propriam ſpeciem exprimam, nedum ſingulos poëtas dijudicem; at paucis ut monitis exempliſque varietas, alia quidem vitioſa prohibeatur, laudabilis alia inducatur. Sanè multa de hac ipſa re, (præter ea, quæ in Dotibus Narrationis) ſub iſtius diſſertationis initium præcerpta ſunt, quibus tria dicendi genera indicantur: ſed rationem hîc ego diverſam ineô pleniùs aliquantò diſtinctiúſque hujus exponendæ quæſtionis.

Occupavit diſertiſſimus ille Strada in geminâ proluſione, cui nomen Academiæ fecit, Poëtarum diſcrimina, in uno tamen hexametro verſu propoſita. Latiùs, breviori licèt opuſculo, de poëtarum inter ſe diſſimilitudine paríque pæne gloriâ ſcripſit, ex Tulliana ſententia, ad æquiſſimum poëticæ laudis arbitrum Ferdinandum Furſtenbergium politiſſimus in quovis genere Vallius.

Non res, non numeri, non impetus omnibus idem:
Omnibus ex merito laus tamen æqua ſuo eſt.
** *Inter tot ſpecies quid non natura decoris,*
Cùm variis terram floribus ornat, habet?
** *Diſſimiles quamvis, nec ſit decor omnibus unus,*
At rapit hic oculos, & rapit ille meos. &c.

Probabilis hæc, jucundaque varietas: nec verò plures oris in hominibus, quàm in poëtis ingenii formæ ſpectantur, & placent, dum quadam coloris ſuavitate, partiumque omnium convenientiâ ſe ſe tueantur, quamvis majorem alia venuſtatem, alia dignitatem præ ſe ferat. Atenim,

judice Quintiliano, *falluntur plurimùm, qui vitioſum & corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentiâ reſultat, aut puerilibus ſententiolis laſcivit, aut immodico tumore turgeſcit, aut inanibus locis bacchatur; aut caſuris, ſi leviter excutiantur, floſculis nitet; aut præcipitia pro ſublimibus habet, aut ſpecie libertatis inſanit; exiſtimant plauſibile.*

Idem Fabius Inſt. Orat. l. x. c. I. Poëtas nominatim percenſet: ac primum quidem inſtar Homeri, Latinis aſſignat Virgilium, qui Græco ut naturâ cedat, curâ & diligentia præſtat. *Lucretius*, inquit, *difficilis.* adderet; durus, impurus, impius, ex hara Epicuri philoſophus; *inſanientis dum ſapientiæ conſultus errat*, & furioſus. Ennii vetuſtate adoratâ pergit Fabius ad propiores ſuis temporibus, *atque ad phraſin, id eſt corpus eloquentiæ, magis utiles. Laſcivus*, ait, *in heroicis quoque Ovidius, & nimium amator ingenii ſui, laudandus tamen in partibus.* Valerium Flaccum, ſignificatione tantùm deſiderii, amiſſum commendat. Pedonem exiſtimat *non indignum cognitione, ſi vacet.* Lucanum ardentem, & concitatum, & ſententiis clariſſimum, magis oratoribus quàm poëtis annumerat. Elegiâ Græcos à Romanis provocari putat: *cujus ipſi terſus atque elegans maximè videtur autor Tibullus. ſunt qui Propertium malint. Ovidius utroque laſcivior*, ſive effuſior. *Iambi acerbitas in Catullo & Horatio. At idem Horatius* in Satyra *ad notandos hominum mores præcipuus*; in Lyricis *inſurgit aliquando, & plenus eſt jucunditatis & gratiæ, & variis figuris & verbis feliciſſimè audax. Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro, Perſius meruit. In Comœdia maxime claudicamus, licet Varro dicat Muſas Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui vellent: licèt Terentii ſcripta*

ad Scipionem Africanum referantur : quæ tamen ſunt in hoc genere elegantiſſima , & plus adhuc habitura gratiæ, ſi intra verſus trimetros ſtetiſſent.

Ad extremum gravi diſertaque L. Senecam notat cenſurâ , cujus partem in explicanda Brevitate retuli. Non eum ille quidem omnino manibus adoleſcentium conatur excutere , ſed potioribus præferri non ſinit ; *quos ille non deſtiterat inceſſere , cum , diverſi ſibi conſcius generis, placere ſe in dicendo poſſe iis quibus illi placerent, diffideret .... & orationes ejus , & poëmata , & epiſtolæ & dialogi feruntur. Multæ in eo claræque ſententiæ ; multa etiam morum gratiâ legenda : ſed in eloquendo corrupta pleraque , atque eo perniciosiſſima , quòd abundant dulcibus vitiis* &c.

Hæc ego de Poëtis Quintiliani judicia , ad notionem variorum ſcriptorum , ſive toto genere inter ſe differentium , ſive in eadem ſpecie diverſorum , collegi ſummatim , iis prætermiſſis, quorum ad noſtram ætatem opera non pervenere. Nihil de ſuis ille æqualibus : neque mihi de his, aut inferioribus, neceſſe eſt dicere : & nonnulla tamen de Tragœdiis Senecæ attributis , de Statio, de Claudiano , ſparſim vel citavi , vel animadverti, unde intelligi ſtylus cujuſque poſſit. Nationem vatum univerſam recenſuêre Iul. Scaliger in ſua Poëtica , Ant. Poſſevinus in ſua Bibliotheca : ut alios taceam , eoſque præſertim, qui vitas ſcripſere Poëtarum. Equidem libens , ſi vacaret , de Chriſtianis agerem Vatibus, magno imprimis Paulino , quem laudavi non ſemel in Poëticis operibus ; ac Boëtio , quem hoc ipſo in opere aliquoties , quámque potui honorificentiſſimè, appellavi. Et felix hoc poëtarum proventu ſeculum , quorum ego præcipuos ferè in ſcenam produco.

Obruer

Obruar at cenſu, ſi fors ingentia Pindi
Nomina, & artifices operum numerare ſuperbos
Inſtituam (uti in Silvarum libro v. cecini.)
** *Nec verò invadam partes cenſoris acerbas,*
Aut infelices curas, vacuoſque labores.
Conſcia mens, teneroque vetat frons nata pudori.
Sed tamen Auguſti poſtquam lepor aureus ævo,
Heu, brevis enituit; Vatum quàm decolor ætas
In pejus ruit! . . . . .
Ventoſas aliis bullas, ſpumaſque ſonantes
Ingenii tumor & fecunda licentia volvit;
Ceratáſve quatit pennas, niſuque caduco
Aërias tentat maleſana audacia nubes.
Serpere humi pars viſa, & anhelo languet hiatu,
Ægra, elumbis, iners, condenſoque obſita cœno.
Prædam alii Parnaſſo abigunt, & non-ſua paſſim
Oſtentant decora; & vario ſegmenta colore
Intexunt, furtis opulenti, ac fraude beati.
Pars & barbarica in gaza, fulvoque orichalco
Mirantur ſe ſe, ac veteres ſprevere camœnas &c.

D. Hieronymus confuſionem ſermonis, ac ſtyli barbari inconſtantiam & Virgilianis verbis & ſuis exprobrat flagitioſo Ioviniano (quod nonnullos in verſificatores facilè cadit:) *dat ſine mente ſonum: totus tumet, totus jacet: attollit ſe per ſingula; & quaſi debilitatus coluber, in ipſo conatu frangitur.* Neque abludit multis ab operibus poëticis Ovidiana ſimilitudo animalium, quæ in agris Ægyptiacis, poſt Nili receſſum, imperfecta reperiuntur:

& eodem in corpore ſæpe
Altera pars vivit, rudis eſt pars altera tellus.

An verò non propriè illa quadrat Horatiana togæ, purpureis pannis temere aſſutis, comparatio cum poëmate, quo amœni luci, fluminis Rheni, cœleſtis arcûs deſcriptiones intermicant, ſed alieno loco? ac nimirum.

Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum ſilvis appingit, fluctibus aprum.

& *in vitium ducit*, non modò *culpæ fuga*, ut ille ait, ſed etiam conſectatio elegantiæ, *ſi caret arte.* Figuris intemperantiùs quidam indulgent; & lenociniis faſtidium veriùs quàm oblectationem movent. alii ſeſquipedalibus vocabulis amplitudinem poëſeos metiuntur; & immanes evadunt, non grandes. Magnificentiam Poëſis amat, odit inſolentiam; *non iſta decorem*

Ingenuum fuco, & blandis violata venenis.
Ceu, quæ bracteolas phaleraſque induta crepantes,
Verſicolor Muſæ pueris arriſit imago,
Ingenii ſtricturâ, & acutis frigida vibrans
Fulguribus, geſtitque operoſo dædala ludo.

(quemadmodum cecini panegyrico in clariſſimum Joannem Verjuſium, quem doctus in paucis Petitus luculentâ in eundem elegiâ, dixit à Gallia Italo Pico opponendum, ævi ſui prodigio.)

Vel mirabilem affluentiam facundiæ, profuſione nimiâ viris gravibus diſplicere obſervat Auguſtinus l. IV. de Doctr. Chriſt. *Qui verò hæc amant, inquit, profectò eos qui non ita dicunt, ſed caſtigatiùs eloquuntur, non poſſe ita eloqui exiſtimant, non judicio iſta devitare.* At contemnendæ ſunt hominum leviſſimorum ineptiæ, certiſſimaque artis documenta in antiquis & probatiſſimis contuenda monumentis. Vnus inſtar omnium in heroicis Maro ſpectetur, ac ſuo quiſque in genere princeps, cui palmam ſapientiſſimi jam olim detulerint viri. Ex omnibus quidem idoneis autoribus delibari flos quidam elegantiæ poteſt: verùm omnis ea copia ſubigenda temperandaque eſt, & ad Virgiliani formam ſtyli redigenda; ne diſtrahantur verſus in ſimplicitatem Ovidianam, aliorumve Poëtarum aut tumorem, aut argutias.

Nihil eſt iniquius (quod commodè Marcus advertit Seneca) *his qui nuſquam putant eſſe ſubtilitatem, niſi ubi nihil eſt præter ſubtilitatem: & in illo cum omnes oratoriæ virtutes eſſent, hoc fundamentum tot & tantis ſuperſtructis molibus obruebatur.* Quæ de Porcio Latrone dicta, multò etiam magis in Tullium, in Virgilium pertinent; in quibus aliquando ingenium & acumen homines non acutiſſimi deſiderant: laudem hanc à Lucio potiſſimum Seneca, & Plinio, ab Ovidio & Lucano petendam opinantur. At iſti rivis deducunt, quod pleniùs tanquam in fonte apud Ciceronem, apud Maronem inveniant. Non ita quidem in his principibus hæc pars eminet, quia ſola non extat; ſed aliis circumfuſa ſtipataque non effert ſe, & quaſi in turba latet.

Varietas autem in rebus altera, altera in verbis poſita eſt; ambæque inter ſe commiſcentur. Cauſæ, effectus, antecedentia, conſequentia, adjuncta, ceteraque Topica; perſonæ, regiones, militaria, civilia, privata, publica, animorum perturbationes, ſimilitudinum comparationes, figuræ omnes, varietatem infinitam ſuggerunt, narrationum, deſcriptionum, orationum contextu: eademque ſententia locis diverſis perſæpe transformatur. Iam tenera & pellucens Poëſis, jam robuſta ac veluti aſpera exiſtat: ut in pictura colores nitidi & opaci, alia tanquam abdita in receſſus, alia colluſtrata & quaſi erumpentia delectant. Sit denique poëma, ut præſcribit Ariſtoteles, inæqualiter æquale.

Nec ſingula dumtaxat opera ſibi conſtent: univerſa, in libris etiam miſcellaneis, ſtylum eundem manumque referant magiſtram, at rebus ſervientem, verſibus imperantem. Ita Cicero de ſuo Paradoxorum opuſculo: *non eſt tale*, ait, *ut*

in arce poni poſſit, quaſi illa Minerva Phidiæ: tale tamen eſt, ut ex eadem officina exiſſe videatur. Interim hujus ipſius opuſculi lucubratione probat ea, quæ ſuâ ſponte ſquallida & ſpinoſa ſint, orationis adhibito cultu eniteſcere. quemadmodum is, cùjus incidit mentio, *non ex ebore tantùm Phidias ſciebat facere ſimulacra: faciebat ex ære: ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes, feciſſet quale ex illa fieri optimum poſſet:* inquit Seneca epiſt. LXXXV. Quid? Maronis locíne omnes ejuſdem ſunt dignitatis & pretii? Quid odæ Flacci, paríſne omnes majeſtatis? Non ſemper eſſe grandilôquos neceſſe fuerit; nec verò deceat: in tenuitate ipſa tamen, ſi eam res poſtulat, veſtigium aliquod granditatis appareat. Gradus enim varii unt in quolibet genere: ac longè præſtat Virgilii mediocre, aut humile ipſum dicendi genus, vulgarium magniloquentiæ poëtarum.

Plinius junior de ſcriptis agens ſuis, hanc legem ſtatuit. *Sapiens ſubtiliſque lector debet non diverſis conferre diverſa, ſed ſingula expendere, nec deterius alio putare, quod eſt in ſuo genere perfectum.* Quamobrem poëta, cùm inæqualitati ſe accommodát argumentorum, non ſibi parum æqualis habendus eſt, ſed varietatis gratia commendandus. Iſtam ego varietatem materiæ dictioniſque poëſi meæ inſperſi; treſque illas dicendi formas ita ſum complexus, ut pleraque tamen in gravi ſpecie verſentur; aliqua in temperatâ conſiſtant (cujuſmodi ſunt narratiuncula de Regio Agricola; ſilva ad Cleobulum, ſive P. Bergierum, laudes Principum Sereniſſ. Condæi & Enguinei canendas offerentem:) in tenui hæreant ludicra quædam: &, quæ de Vario Stylo carmina ſunt relata, eo ſunt deducta filo,

atque omnia, quoquo demum ſtylo exarata, ſed Theandrica nominatim & Parthenica, plurimam habent rerum varietatem, & numerorum. quâ de parte varietatis numeroſæ, univerſaque carminum ſtructura jam diſſeramus.

DISSERTATIO
DE CARMINUM STRUCTURA NUMEROQUE POETICO.

POEMATIS hactenus materiam formamque, & partes majores, ac veluti elementa dictionis, & ornamenta varia ediſſeruimus: nunc ad ipſam carminis propriam compoſitionem, & quaſi coagmentationem membrorum pervenimus. Quantum verò in verſu conſtruendo, aptéque collocandis pedibus ſit momenti, facilè intelligas ex illa Tulliana ſimilitudine clypei ab artifice nobiliſſimo, cujus paulò antè mentionem fecimus, elaborati: quem *ſi quis diſſolverit, univerſam ſpeciem ſuſtulerit.* ita diſcerptis miſerè verſibus, ut ſæpe fit ab imperitis plagiariis, non ſuus honos, non eadem vis, eadem gratia manet. *Tantum ſeries, juncturaque pollet!* acclamat Horatius.

Hanc igitur diſciplinam, non proſodiam ſyllabarum, aut neceſſitatem pedum (quæ tanquam crepundia ſunt artis poëticæ) exponam, breviter, quoniam ſic eſt neceſſe, at quantum ſat erit;

vitiis primùm à carmine generatim depellendis, virtutibus adſciſcendis; non quæ lexi, epithero, litterarúmve natura, verborum & ſententiarum figuris communibus, de quibus jam dictum eſt, virtutes conſtituantur; ſed quæ ipſo poſitu ſerieque vocum propriæ infixæque ſint carmini. Deinde tritas maximè ſpecies verſuum excolam certis peculiaribuſque elegantiæ inſtitutis & legibus. Poſtea Numerum tractabo multiplicem, quo non modò ſingillatim editur carmen, at concentus ex multitudine varietatéque carminum efficitur.

VITIA QUÆDAM ET VIRTUTES Carminum.

ACturus de vitiis carminum, hanc primùm ab erudito aut docili æquoque lectore veniam peto, ut me in quibuſdam recedere à vulgari patiatur opinione & præjudicio, bonoſque verſus complures à mala & injuſta cenſura vindicare. Confinia ſunt perinde in artibus, atque in moribus, virtutum & vitiorum, quæ non ſatis magiſtri Poëticæ aliqui criticique inconſulti diſtinxere. Faciam itaque, ut præcepta nimis generalia reſtringam, finibuſque legitimis ex optimorum autorum mente circunſcribam.

Atque ut illud in principio vitium aggrediar, quod concinnitati numeroque maximè adverſatur; ſolutus & ſine cæſura verſus proſcribitur; qualis hic Ennianus;

Sparſis haſtis longis campus ſplendet & horret.
Horatianus item; *Præter cetera, Romæ mêne poëmata cenſes.* Atenim Virgilianus iſte, non planè ſolutus, qui laxior tamen videri poſſit, iniquè damnetur.

Scilicet omnibus eſt labor impendendus, & omnes

atque hic Propertianus: *Non me moribus illa, ſed herbis improba vicit.* Ita quippe diſpoſita verba ſunt, ut diſſoluta cùm videas, ſtructuram nihilominus elegantem, & idoneam pedum varietatem ſentias. Minùs fortaſſe placeat Ovidianus: *Non caſu vos, ſed ſub conditione vocati.* Monoſyllabum in Virgiliani ac Propertiani carminis tertio pede aptiùs venit ad numerum. Et culpantur verſus, in quibus crebriora monoſyllaba continenter ſubſultant: uti in hoc altero Ovidiano; *Si quis, qui, quid agam, forte requirat, erit.* Syllabatim quoque dixit Virgilius: *nec cùm ſe ſub leges pacis iniquæ.* verùm ſubeſt hîc neſcio quæ vis apta Eliſæ furentis & abruptè loquentis incitationi. Hoc verò prorſus familiare, quod alio notavi loco, Iovis ad Iunonem; *Do, quod vis; & me victuſque volenſque remitto:* quæ clauſula ſuſtinet infirmitatem & fragilitatem principii.

Rejiciuntur ergo à verſu minutiores voculæ; quòd humilitatem invehant: ſed peræque grandiorum vocabulorum continuatio vituperatur, ne tumorem inducat. Coercendum tamen hoc interdictum. valeat ſanè in verbis, qualia à Petronio tracta audivimus; *peragrabantur, exonerabantur:* valeat in Horatiano etiam hemiſtichio; *triſtive ſuperſtitione.* At hoc quidem in ſatyrâ: illud in lyrico, *ſollicitudinibus*, culpare non auſim. *illacrymabilem* verò, *imperioſius*, & ſimilia qui reprehendat, næ ille meritò doctorum omnium reprehenſionem incurrat. Carmini pondus & majeſtatem affert, difficultatem & laborem repræſentat verborum gravium, ſonantium, exaggeratorum moles, à Marone ipſo frequentatorum.

Phillyrides Chiron, Amythaoniuſque Melampus. Laomedontiaden Priamum. Et centumgeminus Briareus, indeprenſus, & irremeabilis, atque alibi, &

inextricabilis error &c. aliaque iſtiuſmodi nonnulla Procemio ſunt indicata. Modus tantum adhibeatur, ne gigantæo quodam faſtu carmen inſoleſcat.

Quòd ſi lex illa in ſolutiorem verſum, in monoſyllaba grandiaque vocabula, vim abſolutam plenamque non obtinet; nec aliæ, contra Colliſionem atque Eliſionem vulgatæ, apud nos ratæ eſſe debent, ac poëtas uſquequaque obligare. Aſperè quidem concurrunt *Rex Xerxes, ſilveſtris Zacynthos*; & Virgilii tamen hoc eſt; *nemoroſa Zacynthos*. ſed neceſſitati concedendum. Altiùs tamen ſpectaſſe Maro videtur, nec tam neceſſitati, quàm elegantiæ ſerviſſe pleriſque in locis, ubi conſonantes inter ſe confligunt, aut ſyllabæ etiam duplicantur. *Sic cunctus pelagi cecidit fragor*... Obvium erat; *pelagi cunctus*: rixam illam litterarum quæſivit. *Nec candida curſum Luna negat.* ecquid potuit, *neque candida?* leniorem decurſum poſthabuit colliſioni. Vis etiam ſyllabarum concurſum? *avertere regem. reſpice res. telum immane manu.* quæ toties à vigilantiſſimo poëta fiunt, ut conſtet de induſtria fieri.

Ille comam mollis jamtum tondebat achanti. quodque eſt inſignius; tametſi non proxima ſit concurſio: *Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.* Equidem illum omnino probem conflictum, qui ad exprimendam rem faciat: qualis hic eſt; *Unde priùs lætum ſiliqua quaſſante legumen.* Ad hunc modum, in Lauretanis elogiis, cecini Divæ armorum ſacrorum præſidi;

Nec pateris famulos Orco concurrere inermes.

Quantò lenior hæc molliculis auribus commiſſura acciderit;

Nec famulos Orco pateris concurrere inermes!

illam ego tamen priorem formam prætuli ad pugnæ concurſum ipſo litterarum concurſu expri-

mendum. Ut Virgilius: *his decuit mecum concurrere telis.*

Hactenus de colliſione; nunc ad Eliſionem venio, quam eatenus ab illa diſtinguo, ut colliſio, conſonantium ſit; eliſio, vocalium. Ancipites in hac parte nonnemini videntur, ſecumque ipſi pugnantes Cicero & Fabius, qui *extremorum verborum cum inſequentibus primis concurſum*, jam duritiem, jam molliciam numerent, prohibeant idem & ſuadeant. Conciliari tamen haud difficilè poſſunt diſſentaneæ in ſpeciem opiniones, ſi advertatur, hiatum quem Tullius reprobat, intelligi de vocalium diductione, qualem habent poëtæ, *qui ut verſum facerent*, inquit, *ſæpe hiabant*; *ut Nævius.... at Ennius ſemel; Scipio invicte. & quidem nos. Hoc motu radiantis Eteſiæ in vada ponti.* Sic commiſſis inter ſe litteris interſiſtit, & quaſi laborat oratio, ut ait Quintilianus. At ubi penetrant ſe ſe vocales, alia aliam exterit atque abſumit, ſive una ex duabus conflatur; ita non diſplicet hoc Tullio, ut cùm aures inconditis verbis offendi priùs dixiſſet, aut aſperis aut hiulcis, aperto certoque de re noſtra judicio ſubjecerit: *quod quidem Latina lingua ſic obſervat, nemo ut tam ruſticus ſit, qui vocales nolit conjungere.* Hanc Grammatici conjunctionem, ſynalœphen appellant, quâ duæ in unam vocales coaleſcunt. eamque ſuo nobis uſu paſſim Tullius commendat, ſic, ut libentiùs dicat. *æquè atque illud*, quàm, æquè ac &c. Ceterùm ne hiatum quidem prorſus refugit, vel ipſo orationis aditu pro Balbo; *Si autoritates.* Neque offenſionem iſtam operosè vitandam ſancit in Oratore. *nam eſſet cum infinitus, tum puerilis labor.* ac neſcire ſe Fabius teſtatur, negligentia in hoc, an ſollicitudo ſit pejor: coeuntes litteras etiam leniorem

facere orationem ; & nonnumquam hiulca etiam decere, amplitudinem conferre. Nec rarò Virgilius hiatum exquiſivit ;

Nereidum matri, & Neptuno Ægæo. &c.

Synalœpham verò quàmfrequentiſſimè, ut aptam exprimendis rebus, & aliàs gravitati, jucunditati aliàs bellè ſervientem. *Implicuere inter ſe acies. Tectum auguſtum, ingens.* Atque ut videas amatam eliſionem, datáque operâ adhibitam ;

Non res Romanæ, perituraque regna, neque ille,

potiùs, quàm, *nec*, uſurpavit. Sicut & Horatius in hoc verſu ;

Non eget Mauri jaculis, neque arcu.

Optimè componuntur ejuſdemmodi vocales, & ipſa eliſione fallunt : ut, *arma amens fremit. atque equidem memini. aut ubi hiulca ſiti &c.* ſed obſervatione digniſſima apparet ſynalœphe in hoc verſu l. xi. Æneid.

Ut bivias armato obſidam milite fauces.

Quot aliis modis carmen ſtrui poterat! *ut bivias obſidam armato. obſidam ut bivias. armato ut bivias obſidam. obſidam armato bivias ut milite fauces.* Illam verò potiſſimùm formam elegit Maro, quia convenientiſſimam duxit ejuſdem litteræ concurſionem, reique ſignificantiæ aptiſſimam. Hæ. quoque eliſiones idoneæ ſunt, rebuſque conſonæ.

Tergemina immenſo excurrit via limite in omnem
Acta plagam, ex Motha Candeneria.
Ecce tuus (ſimul hæc multâ vi pectore ab imo
Eluctans, caro advertit languentia alumno
Lumina, Theand. l. iii. Effato iii.
Ibidem, Effato v. *& jam non fabula, creber*
Captat ubique inhians fallaces Tantalus undas.
It, redit, alludens ori, alternanſque laceſſit
Credula labra, fugaxque repentè elabitur amnis.

Videtur aquis in mediis ſitiens lambere admotum & illudentem laticem, qui patulo ori inhiantique effluat. Iucunda quoque extremæ vocalis in primam conſimilem verſûs proximi incurſio; non modò, ubi prior verſus hypermeter eſt; ut, *magna oſſa lacertoſque exuit*; ſed in aliis etiam, ut, *lilia multâ albâ roſâ.*

Durior tamen, ac proinde vitanda quædam offenſio eſt: cujuſmodi hæc Horatiana, ſed ſatyrica; *quàm aut aquila, aut ſerpens.* Nempe hæc confragoſa, *quàm aut aquila*, initio præſertim carminis. Levior illa Virgiliana in Bucolicis; *ſi ad vitulam ſpectas.* item Senecæa in principio; *ſi abominanda caſus optata efficit.* Probabilior iſta; *jam exiſſe decui.* Nonnunquam & figuratâ declinatione effugitur, ſuavitatis cauſâ, vocalium concurſus; *Fata per Æneæ juro. Tranſtra per & remos*, &c. in Æneide. Ac nimirum lætis in rebus, expeditè, celeriter actis, gratiſſimi ſunt verſus lenes, inoffenſi, volubiles.

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint, agricolas &c.
Cæruleo per ſumma levis volat æquora curru. Virgil.
Et noſtra in carmine Georgico:
Nil circumvolitans rutilis Victoria pennis
Sollicitat, lætoque fremens pæane Triumphus:
Nil plauſus, nil ſcena juvat, nil garrula Fama.

Habes apud Horatium in epiſtolis, quam in Satyra non exhibuit ſuprà, lenitatem. *Smyrna quid, & Colophon. bella quis, & paces*, &c. Vnde Propertianum iſtud;

Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ?
mutatum fortè quiſpiam velit ſic; *Facta quis Herculeæ.* At hic fortaſſe nodus laborioſiſſimam clavam decuerit. Ceterùm nimis aliqui mirantur adamantque Claudianum ob lævem illum tractum carminis per-ſanè-raro vocalium conflictu. ſed ſi

nihil habet ſcabritiæ, parum & varietatis obtii ac gravitatis : itáque dulcia ſunt ejus poëma minùs ut pulchra ſint, decoctæque ſuavitati ſtidium adhæreſcat.

Diſputationem hanc de vocalium eliſione c mittendam non arbitror, quin lepidum ex I raſceve Scaligeri dictum erratumque recenſea *Hiatus*, inquit, *ſæpe quæſitus, præſertim cùm præſentandus eſt conatus vel difficultas. Ter ſi conati imponere Pelion Oſſæ. equidem etiam a auxiſſem ; Pelio Oſſan.* Verè is quidem cenſi hiatum quæſitum ; ſed alterum malè occluſit, implevit, citatione carminis falsâ ; graduſq pervertit Giganteæ machinæ, & Virgilianæ ſtı cturæ exactam decoramque formam perturbav maluiſſet ; *Pelio Oſſan.* Atqui hoc ipſo pa(ſubſtruxit Maro verſum ; neque aliter potuit. qu patet ex conſequente metro.

Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſan, Georg.
Scilicet atque Oſſæ frondoſum involvere Olympu

Vides gradationem ? quæ non conſtaret, ſi P lion Oſſæ impoſuiſſet Virgilius : tunc enim Pel Olympum involvere debuiſſet. Nunc advert ſcribi potuiſſe ; *conati ter ſunt.* ſed quàm h languidum de Gigantibus, cœlum reſcindere co juratis! hiatus verò ille, *conati imponere*, niſu aptiſſimè repræſentat. Quid ? in illo verſu,

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis ;

dicere non potuerat ; *& ſuccus pecori, lac & ſub ducitur agnis ?* at poſterior hic modus aſperior ſuavis, prior, & licentiâ ambiendus. Ad Scalige notas revertor ; qui c. VII. Hypercritici, ad illu Horatii locum in epodis, *& Exquilinæ alite* (Iambicus eſt dimeter, hiatque in tertio pede. *Animadverte*, ait, *vocem hanc, alites, multis i locis ab Horatio repetitam : quam adeo amavit*

n

ut maluerit hîc, quàm, quod potuit, vulcures. & fugiſſet licentiam. Fugiſſet ille quidem licentiam, ſed elegantiam minuiſſet. ac, quanquam in poëtis laus virtutis neceſſitati datur, ex Fabii ſententiâ; egregii tamen poëtæ non ferè neceſſitati (quod antea de Marone aiebam) ſed rei naturæ ſerviunt; decori ſtudent, ídque venantur induſtriè, uſum communem arte conſilioque transgreſſi. *Inſerias retulit Jugurthæ*; dicat plebeius poëta exactè: generoſus vates cum Horatio, non timidè, per epentheſin;

Rettulit inferias Jugurthæ:

ille; *acceptos retulit, regalè numiſma, philippos*; hic ſanè concinniùs; *rettulit acceptos, regale* &c. Non ea quidem ſemper apparet mutationis facilitas, ut, quando carminis poſtrema ſyllaba excurrens, à primâ ſequentis verſûs excipitur:

tibi tollit hinnitum apta quadrigis equa:

vel cùm redundans prima, ab antecedentis verſûs extremâ abſorbetur; *Jove non probante, Uxorius amnis.* Verùm hæc ipſa haud ægrè cecinisset aliis verbis non egenus poëta, ni ſolitis & obviis extraordinaria hæc potiora ſenſiſſet. Age, quid neceſſe Virgilio fuit hypercatalectum verſum facere?

Jamque iter emenſi, turres ac tecta Latinorum Ardua cernebant. utique, *Latinûm*, occurrrebat: ſed magis uſitatam formam aſpernatus, finem extraxit, illum ut ſitum arduum ſpectabilemque tectorum ipſa carminis exuperantia elatiùs oſtentaret. Simili ratione ſuprà de Candia, *colleſque ſcopuloſque*; *Haſtamque ſpinaſque*, de Chriſti Domini cruciatu: quæ (tametſi propriè in his licentia non eſt) formulam ad vulgarem ſi redegeris; *colleſque & ſcopulos, haſtamque & ſpinas*; gratiam corruperis.

Atque hinc videas, prudenter modò arripiendam, ſubterfugiendam modò eliſionem. quo ego nomine paulò ſum aliter uſus, quàm fieri à quibuſdam ſoleat: eáque voce ecthlipſin ac ſynalœphen comprehendi; cùm illa vulgò extundat litteram *M*, hæc vocales conglutinet. Atenim & Cicero utramque pariter conjunxit; & concurſu prior verè eliditur vocalis; cumque eliditur conſonans *M*, adjuncta præcedenſque vocalis cum inſequente conglutinatur; quæ notio eſt Synalœphæ. Hoc demum in ſtructura ſervetur, ut, ſive integris, ſive exeſis vocibus, ne qua ambiguitas, ne qua deformitas oriatur. *dabiturque licentia ſumpta pudenter*, ut Horatius ait: & collocatio conſervabitur verborum, quæ cohærentem orationem efficit, quæ lenem, quæ æquabiliter fluentem, ſi verba extrema cum conſequentibus primis ita jungentur, ut néve aſperè concurrant, néve vaſtiùs diducantur; ex Tulliano præcepto.

Reliquum eſt, ut carminum diſcutiatur conſonantia, quando mediis extrema recinunt. Leonini verſus à Leonio denominati ſunt, aſcetâ Victorino: quo nunc in Aſceterio triumphat longè alio juſtoque carminum genere Santolius, quem ſuum Lutetia vatem dixit. At rudioribus illis ſeculis perpetua reſultabat vocum *jocoſa imago*. nec tantùm ſecundi pedis cæſura cum poſtremâ ſyllaba & præeunte vocali concinebat: ſed proximi duo verſus, aut plures certo intervallo ſibi reſponſabant: ut in popularibus noſtris, aliarumque gentium numeris. extantque tales apud Petrum Bleſenſem etiam hexametri. Crebrum hoc quidem in verſiculis, quibus conſcripti ſunt Hymni Eccleſiaſtici: perpetuumque effecit, vir eximia religione miraque facultate poëtica, Martinus Clairé, qui Hymnos veteres illos novo cultu

adornavit, proculditque complures novos artificio planè ſingulari, ac diligenti nominatim obſervatione, cum illa conſonantia, & Latinitatis & proſodiæ. quæ ſi poëſis tempore Vrbani Pontificis in lucem prodiiſſet, jam certè uſu totius Eccleſiæ, terrarum omnium concentu celebraretur. Sed extra genus hoc, locum in Latino poëmate non habet aſſiduus iſte aſſenſus, quod *omœoptoton* vocant. Interdum autem, ſolerterque admiſſum, aut accitum; non tolerandum modò, ſed etiam laudandum qui negarit: is elegantiæ ſummos artifices inconſultè injurioſéque condemnarit. Et hic tamen Virgilianus à Grammaticis paſſim dehoneſtatus verſus reperitur;

Ora citatorum dextrâ detorſit equorum.

Temere omnino, cùm eo ſit affectatus ſonus, qui curſum referat equorum, ſtrepitumque rapido cum impetu rotas militaris currûs agentium. Ne multa (centum enim uno ex Virgilio poſſim exempla ſimiliter deſinentium proferre;) ſatis hæc fuerint. ex v. Æn.

Talia dicta dabat, clavumque affixus & hærens
Nuſquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat.

His conſtantia Palinuri in ſuo fungendo munere exhibetur. Nonnunquam & proximorum verſuum extrema ſibi conſonant: ut ejuſdem libri initio:

Interea medium Æneas jam claſſe tenebat
Certus iter, fluctuſque atros Aquilone ſecabat.

ac l. xii. *Sed neq; currentem ſe, nec cognoſcit euntem,*
Tollentémve manu, ſaxúmque immane moventem.

In altero Troadum choro ſeptem ordine verſiculi in *us* exeunt: quæ crebrior ſimilitudo terminationis eſt declinanda. Modum, quæ ſubjicio, non excedunt.

Tum quoque cum patrii ſedem remeavit Olympi,
Jam nive candidior veſtem, jam ſidere vultum;

Illum aſcendentem Genitrix, auraſque ſecantem &c.

Hæc generatim de vitiis carminum & virtutibus: nunc ſpecies ad celeberrimas eſt appellendum.

DE VERSU HEXAMETRO & Pentametro.

QVæ communiter de verſibus explicata ſunt, ea potiſſimùm in hexametro cernuntur, carmine omnium ſpectatiſſimo; ex quo pleraque ſumuntur in utramque partem exempla. Vulgatiora, ut hactenus feci, tranſiliam, aliaque proponam lectiſſima.

Concinnè alternis dactylis & ſpondæis contexitur.

Cæſariem effuſæ nitidam per candida colla. Virg.

Non tamen ſemper hæc diſtributio ſervatur.

Cujus ob auſpicium infauſtum, moreſque ſiniſtros.

infauſtum auſpicium minorem haberet ſignificationem infelicitatis & mœſtitiæ. Continentes ſpondæi tarditatem, difficultatem, dolorem, gravitatem expromunt.

Ibant obſcuri ſolâ ſub nocte per umbram.

Amiſſum Anchiſen flebant, cunctæque profundum

Pontum aſpectabant flentes, heu! &c.

Contrà perpetui dactyli indicant celeritatem, lætitiam ſpirant:

Tempora præcipiti rapiens fugientia curſu.

Coralio rubuêre madentia nectare labra.

Vbi miſcentur inter ſe dactyli ac ſpondæi, pulchriùs à dactylo incipit carmen:

Nec varios inhiant pulchrâ teſtudine poſtes. Virg.

Spondæus tamen aliquando præponitur ad firmitatem, granditatem &c. *Stabunt & Parii lapides.* etiam ſenſu deſinente;

Vox quoque per lucos vulgo exaudita ſilentes

Ingens, &c. *Quid me erepto, ſæviſſime, nato terres?* Non facilè in ſecunda ſede utendum eſt dactylo pleno, ſine cæſura : Virgilio hæc tamen digniſſima : *Et cùm frigida mors. Impulit in latus. Tantum effatus, &c :* quod ter uſurpat.

Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus. Obſtupuere : ſed ante alias &c.

Quâ idem arte Virgilius, quanto judicio in IV. Æn. venuſtatem poſthabuit dignitati!

Nec Saturnius hæc oculis pater aſpicit æquis.

Ac ne fortè imprudenti excidiſſe præfractum numerum ſuſpicêre, eundem adhibet l. v.

Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti.

Fuiſſet utique mollius: *Nec pater hæc oculis Saturnius*; *Tum maris hæc domitor &c.* ſed aures eruditæ ſentiunt, cur ſibi in hoc numero abrupto minuſque concinno placuerit ſapientiſſimus poëta. Ejuſmodi verſum reperias Parthen. l. III. de Turri Davidica.

Tantâ mole ſub ætherias atto'leris auras.

potuiſſem equidem, ac niſi aliud certa ratio perſuaſiſſet ad majeſtatem carminis, planè ſcripſiſſem;

Tantâ mole gravis ſuperas conſurgis ad auras.

Ejuſdem ſunt generis illa in epicedio fortiſſimi venatoris, cum bello paria facientis, ab apro miſerè interempti.

Et jam deſilit acer equo, ſtrictoque coruſcus
Obtruncare parat Serinus acinace prædam.

multiſque interjectis verſibus;

Sternit bellua vaſta, feràque Erymanthide major.

Par eſt ratio Spondæi ſejugis, & abſque cæſura in ſecunda parte fixi. graphicè tamen hic, præcedenti agglutinatus, de ſtante ad crucem Deiparâ.

Divinæ indignum nil majeſtate Parentis
**** [illegible] animo non illa ſuorum*

Collabi inter viſa manus.

In tertia ſede hærent opportunè hi verſus:

Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat. Virg.

Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.

In quarta regione; *Cœca regens filo veſtigia.*

Aëra dimovit tenebroſum, & diſpulit umbras.

Tertio pedi implexus artificiosè extrahitur numerus à quarto in quintum.

Huc, illuc vinclorum immenſa volumina verſat.

Inſignis eſt ſynalœpha duplex in quarto & quinto pede hujuſce carminis:

Abduxere retro longè capita ardua ab ictu.

Quod verò argui ſolet verſus diſſyllabis frequens, præſertim in fine: ut ut ſit de illo Tibulli; *blandos offers mihi vultus*; vel etiam de Virgiliano iſto; *caſus apibus quoque noſtros*; mirabiles profectò hi ſunt;

Turnum, qui volucri curru medium ſecat agmen.

Nocte natat cœcâ ſerus freta, quem ſuper ingens
Porta tonat cœli.

Nec trahit immenſos orbes per humum, neque tanto
Squammeus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.

ſonuere undæ: rapidum ſuper amnem
Infelix fugit in jaculo ſtridente Camilla.

Oblonga ex adverſo vocabula interdum conſtituuntur in extremo verſu:

præfractâque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. Sed IV. Georg. intra paucos verſus, clauſulæ iſtiuſmodi tres reperiuntur.

Drymóque, Xanthóque, Ligeáque, Phyllodocéque.

Thaliáque, Cymodoceque. atque Aſia Deïopeïa.

& plerumque, ubi ſpondæus quinto loco adhibetur, triſſyllabum ſaltem verbum eſt poſtremum; *depreſſas convalles*; niſi quando monoſyllabum intervenit; *penatibus, & magnis dis.* nam quintum ac ſextum pedem ſpondæi facere non

debent ſeparati. Oportet autem quarto pede dactylum anteire, ut, *Atlantides abſcondantur*: niſi ſubjecta res aliud moneat; ut in hocce verſu:

Aut læves ocreas lento ducunt argento.

quo ductu tractuque ſpondæorum lentitudo exprimitur metalli. Cetera quæ circumferuntur exempla, quæque ab Hieronymo Vidâ magno ſunt acervo induſtriè congeſta, non inculcabo. Vnum haud ita notum, ſed egregium afferam Iacobi Borelli (quem religioſiſſimum virum ſua jam pietas, uti fas eſt ſperare, cœleſtibus choris addidit) in Genethliaco Ludovici XIV. nunc verè, ut optimus expetierat & præcinuerat vates, Pacifici,

Europæ deſideriis Pax debita, Pax, Pax
Sit tibi, Puppe, ſoror; tua, Puppe, crepundia volvat
Pro triſti lituo, pro murmure bombardarum.

Quibus in carminibus omnia ſunt notatu digna: ſed imprimis verbum penteſyllabum in medio, magnâ cum dignitate. cujuſmodi Virgiliana illa; *Multa gemens, ignominiam*, &c. *hirſutumque ſupercilium, prolixaque barba.* noſtrumque hoc perſimile de ſuſpicioſo principe:

Armatumque ſatellitium, & ſua tela tremiſcit.

Deinde pacis nomen congeminatum, exprimit ſuaviſſimæ rei incenſum deſiderium. A Virgilio monoſyllaba in fine duplicata vim habent inſtandi. *ruunt per prælia: nunc, nunc Fluctuat ira intus.* Ab eodem aliàs in principio carminis poſita vox, in clauſula repetitur; aliàs in proximo carmine; & quidem jucundiſſimè, cùm eâdem quâ prior verſus terminatur, poſterior inchoatur: quod & in cetera carminum genera pertinet. De carminis excurſu & redundantiâ, de participio in fine, ac rèliquis huc ſpectantibus, aut expoſitum eſt jam ſuperioribus locis, aut ſcholis protritum: & nonnihil infrà dicendum huc referetur. atque in

hujuſce verſûs commendationem varia ſparſim annotata ſunt; qui herous unicè dicitur, ſed propriè, cùm de rebus heroicis magnificè canitur: quales & plurimos hactenus retuli; & paucos adhuc ſubjungam, in quibus ea, quæ in omni ſpecie carminum eſt adhibenda, varietas elucet.

Pingues confuſo populorum ſanguine campi:
Cæde virûm tumefacti amnes, & uterque rubeſcit
Oceanus: fumant disjectis mœnibus urbes;
Pulvere ſubjecto ſeu vis latebroſa procellæ
Eruit ardentis, ſeu vi mavortis apertâ
Ænea fulmineo moles circumtonat ictu. &c.

Hæc gravia de publicis calamitatibus ex Inſula Fortunatâ. en lenia lætaque ex panegyrico in orationes eruditiſſimi viri Ioann. Verjuſii panegyricas de Religioſa vita.

Exin viva ſubit patriæ celeſtis imago,
Relligioſa quies, placidiſque ſilentia ſeptis.
** *O nemora! ô pingues riguis in vallibus horti!*
O Libani juga picta perenne-virentibus herbis;
Et vos, quæ terram pedibus ſervare coactæ,
Æthera formoſo prenſatis vertice cedri!
Quas ego delicias, quos Relligionis honores,
Dulciaque inſontis legi ſpectacula vitæ,
Sidereas tædas; & virgineos hymenæos!

Hexametro carmini ſubjicitur pentametrum, cujus eodem modo priores duo ſunt tractandi pedes. ſubſequi cæſuram oportet, quæ ſæpe deeſt Catullo, vocem mediam in tertium pedem extrahenti. Poteſt hæc, quæ penthemimeris appellatur, eſſe monoſyllaba, dum altera monoſyllaba vox, aut brevis diſſyllaba præcedat, aut eliſio accidat: eademque ratio poſterioris eſt cæſuræ. Comploſio autem inſignis eſt illa;

Ad vulgi plauſus ſæpe reſiſtere equos;

quam tanti fecit Ovidius, ut dimidiatum à Propertio mutuari carmen hoc minimè dubitarit. Qui verò triſſyllabam vocem longioreſque à clauſula rejectas volunt, meritò exploduntur à Pontano, Tibulli maximè Propertiique, cultiſſimorum poëtarum, autoritate ſubnixo, nec ſanè pauca iſtiuſmodi reperire apud Nafonem licet. Iam feſtivè aſſonat mediæ ſyllabæ extrema.

Semper eget liquidis, ſemper abundat aquis.

Repetitio autem multiplex, quæ communis eſt omni carminum generi, præcipuum habet locum in pentametrorum cum hexametris conjunctione. Dimidii quippe verſus in diſtichorum ſimul initio ac fine collocantur aliquando; ut, *qui bibit inde, furit*: & interdum reponuntur in conſequentis diſtichi primordio. Denique verſus Hexametri, cum Pentametrorum hemiſtichio poſteriori, cumque ïambis copulati & ſenariis & dimetris; tum ipſi diminuti, varieque connexi, numerantur in Lyricis; de quibus proximum eſt ut agamus.

DE CARMINE LYRICO *Iambicoque Tragico.*

MElicorum verſuum innumeræ ſunt formæ, quarum Horatianas ego univerſas Operum Poëticorum tertia parte expreſſi: nunc omnes peragrare, ſingulas excutere; nec vacat, neque opus eſt. Nihil, ut ſpero, magnopere deſiderabitur, ubi pauca prædictis nova, communibuſque propria addidero de Lyricorum gemina ſpecie; altera graviſſima, quæ Alcaicorum eſt; altera ſuaviſſima, quæ Sapphicorum.

Alcaïcum vix à tetraſyllaba voce incipias, niſi ex motu quodam; ut, *Ah, te meæ ſi partem ani-*

ma rapit Maturior vis. Haud malè per admirationem exclames de Chriſto in præſepi: *En hic Tonans eſt!* Gravitatem afferunt eliſiones hujuſcemodi: *Magnum illa terrorem intulerat Jovi.* At ſi dicas; *terrorem tulerat*; ineoncinnum carmen fuerit. Caret quidem illud cæſurâ; *Mentemque lymphatam Mareotico*: ſed hoc raró tibi permiſeris. Datâ operâ ſic inſtructum eſt iſtud;

Incenſa per ſuſpiria publicam cauſam peroravit,

ut ſuſpiret ipſum aliquomodo carmen. Definit in monoſyllabum Flaccus interdum: *Ne fortè credas interitura, quæ.* Cavendum ne verſus ſtrophes tertius tertium habeat pedem iambum, niſi cum cæſurâ, ob levitatem. Et quarti carminis pedes ſinguli ſingulis vocabulis diſſoluti, in carm. ponantur. Abunde probabilium Alcaïcorum dedimus, aliaque proximo capite ſubnectemus.

Sapphicum, abſque cæſurâ, carmen inſuave horridumque fit. Baldeus, quem Horatium Germanum quidam nominarunt, talia finxit, ex arte peccans, in Cantu Duro, ut inſcribitur. *Dixit; ô Germania, pelle curas* &c. Affines huic culpæ videri poſſunt aliquot Horatiani (nam Catullianos nil moror)

Semper ut te digna ſequare, & ultra &c.

Adonicus verſiculus, quo ſtrophe clauditur ſapphica, nomine unico quandoque abſolvitur. Sic Horat.

Pegaſus, terrenum equitem gravatus Bellerophontem.

Poteſt & in monoſyllabum exire; *Mole ſua ſtat.* Ioannes Rogerus Torckius, in Eccleſia Aulaque Monaſterienſi ac Paderbornenſi, generis, pietatis, eruditionis dignitatiſque ſplendore conſpicuus, Fontem Smechtanum ita ſuavi ſapphico appellavit,

Montis intonſi decus & voluptas,
Cujus extremo pede, bullienti
Proſilis aſtu gravis è metalli
Divite venâ;
Principem ſerva mihi Ferdinandum,
Patriæ Patrem, tua concinentem
Nobili plectro, tua mella pleno
Ore bibentem.

Et hoc ſpecimen eſto Sapphici noſtri ex ode ad Deum Opt. Max.

Audiunt ſævi tua fræna venti:
Vaſta præſcriptas metuunt arenas
Agmina undarum: tenuere juſſos
Sidera curſus &c.

Iambicus verſus Lyricæ ac Tragicæ poëſi communis eſt: ſed ad lyram cum adhibetur, admiſcetur ferè ſubtexiturque hexametro ſeu trimeter, ſive dimeter; aut hæ ſecum ambæ carminis trimetri dimetrique formæ conjunguntur, alternatimque procedunt, priore ſenario. hic tamen aliquando ſolus, unoque tractu decurrit; ut in Horatii Canidiæque dialogo: atque in Theandricon noſtrorum libro IV. ſic perpetuum habet trimetrum Chriſti Patientis cum gente Iudæa expoſtulatio. Peculiaris autem ineſt ſuavitas puris iambis; quales intercinuntur odæ in triumphalem cœleſtis Reginæ Aſſumptionem, inſtar epodi Horatianæ XVI. Gravitatis causâ ſpondæi locis imparibus recepti:

Teſtes doloris lacrymas JESVS petit,
Teſtes amoris lacrymas.

Dactyli quoque & anapæſti; & tribrachi, etiam locis paribus, ultimo excepto:

Alitibus atque canibus homicidam Hectorem. Horat.

Vnde redarguas eos, qui vix alios pedes, quàm diſſyllabos in Iambeo verſu ferunt, niſi ſemel

fortaſſe; quo ſe modo Græcorum tragicos habere affirmant. Verùm in Sophoclem, in Euripidem, in Æſchylumconjectis oculis triſſyllabi paſſim occurrunt, & in primo alicubi verſu tragœdiæ, ut in Oedipo Coloneo. Quid, quod iidem aſſerunt nec timidè, Senecam in penultima nunquam adhibere ïambum? At vicies circiter id pedis apud Senecam eo loci reperitur. Alii triſſyllabâ voce ïambeum decorè terminari inficiantur; cùm tamen frequentes iſtæ clauſulæ appareant omnibus in Senecæis tragœdiis. Lyricos enim ïambos omitto, qui ſuavitatis plus habent, minus gravitatis. Atenim quo jure novi legumlatores agunt, ut optimi cujuſque & veteris & recentis Tragici morem uſumque reſcindant? Hoc potiùs admoneant, rectè ſolerterque ordinanda membra iambeï verſûs, ne disjuncta & ſoluta, ne lubrica & infirma deformem verſum languentemque abjiciant.

Verè ſiquidem hoc mihi videor eſſe dicturus, nullo in alio carmine crebriùs fœdiúſve labi poëtas, male temperatâ conceſſorum pedum copiâ. Non loquar de comicis, quorum, ſi Tullium audimus, *ſenarii propter ſimilitudinem ſermonis ſic ſæpe ſunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus & verſus intelligi poſſit.* Tribrachys haud ſatis bellè in ulla ſede locatur ſeparatim, integro verbo perfectus: in tertiâ, cuicuimodi pes nullus ita diviſus, hæreat; nec facilè in quinta dactylus. Quomodo hexametri Ovidiani prior hæc pars; *exclamo*; *mala pectora detego*; vitioſa eſt, tertii pedis abjuncti ratione: ſic trimetrum ïambum ſi facias, mutato verbo, *detego*, in *retego*, certè vitioſior extiterit quarti etiam pedis causâ. Horatianum iſtud;

Libenter hoc, & omne militabitur bellum;

Mureto

Mureto non diſplicuit, quod accommodavit, nec ſemel, officio litterario; & quidem ab epiſtolæ ſimplicitate haud alienum. Cothurnata illa ſunt Oedipi verba:

Nefandus, inceſtificus, execrabilis.

At hæc lyrica de Chriſto plagis cruentato, lenitate vim temperant.

Vitam effluentem ſanguinis torrentibus
Retentat in pœnas amor.

Neque iambus pes quinto loco, & ultimo triſſyllaba vox hunc de plaga Ægyptiacâ verſum enervant:

Et decolorem turbidumque ſanguine
Nilum ire juſſit.

Atrocitatem quandam exhibent iſta Creontis ad Medeam carmina.

Sed tu malorum machinatrix facinorum,
Cui fœminea nequitia, ad audendum omnia
Virile robur, nulla famæ memoria eſt.

De Buchanano, poſt Heinſianam animadverſionem, quid dicam, ut ſponſioni ſatisfaciam meæ? Hoc ſolum; eſſe parum ac rarò in lyricis felicem, in choris nominatim anapæſticis durum & incompoſitum; In iambis verò tragicis, de quibus hic agitur, comicâ tenuitate proſtratum. Quid enim humilius his fieri poteſt? in Iephte:

Fateor; ſed interim ut domi rectè omnia
Sint, provide, & morem patri tuo gere.
Adeſſe oportet te ſacrificio ſtatim.

In Baptiſtâ:

Quàm, quale quodque ſit, ſciam. quod vatem ad hunc
Spectat; vir adeo, quantùm ego audio, malus non eſt.
*** Hunc eſſe mihi perſuadeas bonum virum?*
*** Quis tandem es, oro, autoritate hac præditus?*

Quantum hæc ab oratione ſolutâ, & infimâ diſtant! reliqua ferè nihilo erectiora. Gravia au-

tem, grandiaque ex initio Troadum accipe imitationi propoſita.

Quicunque regno fidit, & magnâ potens
Dominatur aulâ, nec leves metuit Deos,
Animúmque rebus credulum lætis dedit,
Me videat, & te, Troja &c.

Sed jam ſatis multa de ſingulorum ſtructurâ verſuum: ad numerum, qui conjunctis ex carminibus atque in periodum illigatis exiſtit, progredior.

DE PERIODO ejuſque Partibus.

NVmeri vim Cicero & ſuavitatem pertractavit, oratorii quidem, in quo poſuit verborum expolitionem, delectationis aucupium. at major poëtici numeri apertiorque voluptas, Amphionis Orpheique fabulis celebrata. Et medius eſt quidam Rhytmum inter ac metrum numerus, nec plane ſolutus, neque omnino vinctus, inſtar carminis potiſſimùm trochaïci; quales hymni in SS. Euchariſtiam D. Thomæ Aquinatis; atque ut alia ſileam, inſignis ad Virginem Auguſtiſſimam precatio, quam S. Caſimirus Poloniæ princeps à ſe compoſitam, trecentorum, pænè, verſiculorum, & recitari quotidie ſolitam, etiam pectori imponi ſuo juſſit moriens, ac ſcilicet, ut alibi cecinimus,

Morte ſacrâ herois decus immortale paciſci
Auſus, & illæſa pro virginitate beato
Victima procumbens fato; conſortiaque Agni,
Liliaque & niveæ meritus pæana catervæ.

Habent ſanè ſuum ſinguli verſus numerum, & periodum quandoque terminant; ut Æn. XI.

Oceanum interea ſurgens Aurora reliquit.

At hæc ſimplex, uniuſque membri comprehen-

ſio. Quin & ſinguli pedes, ab Ovidio numeri vocantur.

Sex mihi ſurgat opus numeris, in quinque reſidat.

Perfectus verò, artificioſuſque propriè numerus juſtum ambitum (niſi cùm inciſim, membratímve dicitur, quod explanabitur poſtea) & duorum ſaltem membrorum continuationem requirit.

At regina gravi jamdudum ſaucia curâ
Vulnus alit venis, & cœco carpitur igni.

Mirifica hæc circumſcriptio, ex XII. Æn.

Attulit hunc illi cœcis terroribus aura
Commiſtum clamorem, arrectaſque impulit aures
Confuſæ ſonus urbis, & illætabile murmur.

Quo loco quærendum venit, ſitne hæc bimembris Periodus, an trimembris? Bimembrem appelles ratione ſenſûs, carminum cenſu trimembrem. In hunc modum Tullius plenam comprehenſionem oratoriam *è quatuor partibus, quæ membra dicimus, hexametrorum inſtar verſuum,* conſtare docuit. Num verò neceſſe eſt Membrum ex opinione Fabii deſcribere, ſenſum numeris concluſum, ſed à toto corpore abruptum, & per ſe nihil efficientem? Inciſum autem, ſenſum numero non expletum, ſive membri partem, ut membrum ipſum pars vocatur periodi? at Periodus vulgò, *continens frequentatio verborum cum abſolutione ſententiarum*, deſcribitur. Quæ apparent omnia in proœmio Georgicon: ubi variè ſpectari circumſcriptio poteſt. Nam ſententiæ abſolutione ſi definitur, verſus quatuor cum hemiſtichio prima colliget; *Quid faciat lætas ſegetes*, ad verba, *Hinc canere incipiam.* ſin carminum circuitus attenditur, quoad incluſa, totoque velut campo excurrens, penitus evolvat ſe conſiſtatque oratio ad caput & principium carminis novam ſententiam afferentis; jam trium & viginti car-

minum orbem conficiet; in hiſque demum verbis, *cælo demittitis imbrem*, numerus conquieſcet. Fiunt & ſingulis verbis inciſa, vaganturque extra periodum.

Ite, Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.
Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros.

Sic inciſè dicitur ex concitatione animi, ubi feſtinationem res flagitat, ubi multa conglobantur. eamque Inſulæ Pacificæ concifionem numerorum peperit ipſa rerum congeries, ac vehementia concurrentium in mutuas clades populorum.

Arma armis, ratibuſque rates, atque arcibus arces
Oppoſuere: dolo virtus, vis addita juri,
Conſilio admiſtus caſus, prudentia forti,
Undaque naufragiis telluſque oppreſſa ruinis.

Membris etiam dictio carpitur ob eandem cauſam, in oratione præſertim obliquâ, & narratione. Cùm brevitatem tractaremus, exempla protulimus ex XI. Æn. atque ex Chocimenſi epinicio: nunc ex alio Epinicio, Seneſenſi: quo loco & verſus aliqui cæduntur minutiùs in articulos; itáque duplicis formæ conjunctionem efferunt.

Hic cunctæ belli facies, hîc omnia tela.
Obſidio, aſſultus, peditumque equitumque remiſto
Concurſu latè fervent. hic arcta viarum
Impediunt: hic fœda palus uligine fallit:
Hic foſſæ; hîc rapido torrentes gurgite inundant &c.

Hæc, licet non implicata inter ſe, tamen aptè numeroſéque volvuntur, ſic abrupta, ut laxioribus quaſi nodis contineantur. Iunctiora, quæ ſequuntur, ex membris & articulis. nam verſus alter, tametſi comma, ſive inciſum, videatur; longitudine ac vi ſenſûs, membri inſtar obtinet.

Stabat ferali ſub ſtipite regia Virgo,
Ah, dulcem medio ſpectans in funere Natum,

Ipſa animo confixa, immani ſaucia luctu,
Jam ſine prole parens, jam matris nomen & umbra.

Tria membra ſejuncta, gradatim ſtruuntur in periodum proximam de Anna Chriſtianiſſima Regina.

Providus imperio vultumque animumque paravit
Naturæ ſolertis amor: Fortuna ſuperbis
Prodiga certavit donis: ornavit utramque
Largior, & pleno accumulans ſe munere Virtus.

Alternis membratim cæſimque efferuntur iſta, & velut proniùs, editione primâ carminis Protreptici ad Principes Chriſtianos, de Sacra Expeditione an. M. DC. LXI., poſtmodùm ad novos Turcarum motus aptati.

Vos tamen antè alios, vos hæc certamina poſcunt,
Contigui terris, conjuncti ſanguine Reges;
Quos placido felix Hymenæus fœdere nectit,
Diſcordes priùs, atque adverſo marte tonantes.

Similis, eademque paulùm diverſa forma eſt horum de ſacro, eoque ſummo Concionatore carminum.

Non tam crebra micant mundi laquearibus aſtra,
Pervigiles lychni, puræ ſpectacula noctis;
Quàm denſa excelſæ flagrantia lumina mentis
Suſpicias, æternæ ubi paſſa volumina Suadæ.

Minùs aliquanto inſiſtit, liberiùs decurrit ſubjecta periodus.

Sic aquilæ advolitat pennis jam fortibus audax
Vere novo fetus, cùm rupibus emicat ales
Fulmineus; cœlique iras cæcoſque fragores
Exuperans, rutilo nubes ſecat ocyor igni.

Iuſta eſt hujuſcemodi, temperataque verſuum quatuor periodus. longiùs aliquando excurrit circuitus, ut ſuprà eſt obſervatum de Georgicon principio: cujus orbis plenus & abſolutus tres & vicenos verſus comprehendit: aut ſi clauſulâ tri-

plici, pro ſententiarum modo, non carminum complicatione dividitur; prima quidem periodus quaternos ſuperabit verſus; altera ſenos implebit; undenos tertia excedet. quæ proxima ſubſequitur, duodecim conſtat verſibus; poſtremáque circumſcriptio procemii, ſeptenis. Totidem inchoatur liber quintus Æneidos, tertius novenis, octonis octavus, duodecimus item octonis, ſi perfectus carminum ambitus ſumitur. Non hîc repetam, quæ in Perſpicuitate annotata fuerunt ex quarto Georgicon, & primo Æneidos: duas tantùm in ſpecimen ex hoc poſteriori poëmate comprehenſiones indicabo. Altera, non longitudine quidem ſpectanda, ſed compoſitione implexa, l. x.

At parte ex alia, quà ſaxa rotantia latè
Intulerat torrens, arbuſtaque diruta ripis;
Arcadas inſuetos acies inferre pedeſtres
Ut vidit Pallas Latio dare terga ſequaci;
Aſpera queis natura loci, dimittere quando
Suaſit equos; unum quod rebus reſtat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.

Altera, quæ parentheſi plus ſeptem carminum, & undecim numero inſignitur, extat libro XII.

Interea Reges (ingenti mole Latinus
Quadrijugo invehitur curru; cui tempora circum
Aurati biſſex radii fulgentia tingunt,
Solis avi ſpecimen; bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro:
Hinc pater Æneas, Romanæ Stirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo, & cœleſtibus armis;
Et juxtà Aſcanius, magnæ ſpes altera Romæ)
Procedunt caſtris: puraque in veſte ſacerdos
Setigeræ fetum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.

Et, unde quadratam dedimus, indidem amplam depromamus periodum, ex Protreptico ad

Sacram Expeditionem.

Qualis ubi Ætnæis proruptus faucibus ardor
Fulminat, exitio miſcens ſilvaſque domoſque
Feliceſque priùs campos; hinc major eundo
Explicat undoſo victrices agmine flammas,
Quippe ſuum depaſtus iter vulcanus, & altâ
Sævior in caſtra, & magnas ſe concitat urbes;
Funerei antevolant cineres, miſtſque favillæ
Pumicibus, cæcuſque atra caligine terror:
Haud ſecùs aſſiduis avidus ſucceſſibus inſtat
Oſmanides, pavidumque ferox graſſatur in orbem.

In alio genere, par magnitudine, materiâ amœnior ſimilitudo, ad Ferdinandum de ſua Poëſi.

Marmoreâ qualis conchâ cryſtallinus humor,
Aurea Phœbeæ influxit cui lucis imago,
Dulce micat; quàque ora patent argentea, ſuavi
Deſilit in numerum plauſu, lenique ſuſurro
Lympha laboratum ſtrepitans illapſa canalem,
Purpureos inter flores dominantiaque hortis
Lilia, jucundos exercet læta meatus:
Tale tuum, Princeps, it divitis ubere venæ
Clarum, illime, ſonans, perfuſum nectare carmen.

Tranſeo nunc ad ſpecies miſtas carminum; ac primùm Pentametri cum Hexametro; quorum ſententia non ſemper diſticho circumſcribitur, & in plura ſæpe funditur; ſic tamen ut cuique ſuus diſticho ſenſus, quamvis ſuſpenſus, tanquam membro conſtet. Habes in elegia de Actiaco prælio exempla; quibus hoc addam ex eodem Propertio.

Amphitryoniades quâ tempeſtate juvencos
Egerat à ſtabulis, ô Erythræa, tuis;
Venit ad invictos, pecoroſa palatia, montes,
Et ſtatuit feſſos feſſus & ipſe boves,
Quà Velabra ſuo ſtagnabant flumine, quàque
Nauta per urbanas velificabat aquas.

Ovidius quoque paſſim extendit ultra diſticha ſententiam. de Ponto l. II. el. III.

Maxime, qui claris nomen virtutibus æquas,
Nec ſinis ingenium nobilitate premi;
Culte mihi (quid enim ſtatus hic à funere differt?)
Supremum vitæ tempus adusque meæ:
Rem facis &c.

Sic Regius Vates, David noſter, inter lacrymas, reum ſe ipſe peragit.

Quin bello, mollis, quin caſtris, degener, ibas,
Urebantque tuas ferrea tela manus?
Dum tibi plebs pugnat, dum Rabbæ obſeſſa Joabus
Mœnia, & Ammonis robora dura quatit;
Dum tibi, caſtrenſem invictus perferre laborem,
Infelix Urias (ô dolor!) arma movet:
Te reſidem fovet aula, ſopore epuliſque paratum
Flagitio, & cæcus lumina cepit amor.
Errones oculi, ſubiit queis peſtifer ignis,
Tartareo erumpens ſordida flamma rogo;
Ite oculi, lacrymis vigiles conſumite noctes;
Strata mihi lacrymis irrequieta natent.

Major in Lyricis conceditur libertas: neque unâ ſtrophe cohibetur in iſto genere ſententia; ne epitheta quidem cum ſuo nomine: & appoſita quæ vocantur, nonnunquam ſtrophês intervallo diſtrahuntur.

Vernique, jam nimbis remotis,
Inſolitos docuere niſus
Venti paventem. Horat.

Quin & unam eandemque Pindarus vocem diſſecat, & ſyllabam transfert non rarò à ſtrophe in antiſtrophen, vel ab hac in epodon: id quod facilè non audendum Latinis. Pindari ſummus admirator Flaccus, non eum tamen ita diſtinguendis lyricis æmulatus eſt: nec verò, quæ ſcripſit Epodon nomine carmina, Pindaricam

illam inſtitutionem uſumque referunt, choro in orbem redeunte, certaſque poſt converſionum vices ſubſiſtente, & rata per intervalla uccinente. At Epodos verſus inſcribendi rationem habuit, quòd ſingulis verſibus ſubiciantur ſinguli ferè minores, aut hexametris iambici varii, qui ſunt hexametris inferiores ordine univerſi. Solus cum Canidia poëtæ dialogus, monocolos eſt.

Cicero, quæ Græci commata & cola nominant, rectè inciſa & membra ſenſit dicenda. Verùm Lyrici cola non ſimpliciter, ut Rhetores, accipiunt majuſculas periodi partes, ſed carminum formas; unde Odarum nata diviſio in monocolon, dicolon, tricolon. atque hunc numerum Horatianæ non prætergrediuntur, cùm ſpecies innumeras complectantur Pindaricæ. Attamen quæ dicolos appellatur, eſſe tetraſtrophos eadem poteſt; ut Sapphica. verſus nempe quatuor unâ ſtrophe, ſeu converſione concludit; priores ejuſdem formæ tres, quibus Adonicus ſuccinitur: eóque interpoſito reditur ad ſuperius genus. Alcaica verò ſtrophe numero carminum quaterno, genere triplici concluditur: ex quo fit, ut ode tricolos nuncupetur ac tetraſtrophos.

Iam ode monocolos ambitus habet varios, ut heroicum, ut elegiacum poëma. in primâ Flacci primus eſt circuitus carminum ſex; in octavâ l. IV. etiam duodenûm verſuum. atque in hujus odes fine membratim dicitur: *ſic Jovis intereſt*

Optatis epulis impiger Hercules:

Clarum Tyndaridæ ſidus &c.

Inciſè autem libri ejuſdem ode IV. inſtar eorum quæ ſua Tullius refert in Oratore: *domus tibi deerat? at habebas: pecunia ſuperabat? at egebas.* In hunc modum Horatius per ſubjectionem; niſi quod excurſus poſt ultimam inciſionem deterere

concinnitatem videtur.

Merſes profundo ? pulchrior evenit.
Luctère ? multâ proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Prælia conjugibus loquenda.

Quam figuræ numerique ſpeciem, de Roma vetere uſurpatam, nos ad invictam Eccleſiæ Romanæ fortitudinem tranſtulimus.

Fluctibus merſa eſt ? rediit nitenti
Clarior gemmâ. data præda flammis
Arſit ? excocto rediit coruſcans
Pulchrior auro.

Articuli conglobati primam adornant ſtrophen ad ſacra IESV Domini Stigmata.

Æterna amoris pignora, publicæ
Fontes ſalutis, purpurei decus
Inſigne victoris, coruſca
Sanguineæ monumenta pugnæ ! &c.

Inciſim quoque exprimuntur complura ſub aſpectum cadaveris Iſabellæ Auguſtæ : & multa, & imprimis hæc membratim.

Florentis cecidit purpura gratiæ ;
Lethali facies diriguit gelu :
Succeſſit placitis horror amoribus :
Nox regale premit jubar.

Aliter hæc ſtrophe conformata eſt de Oratore divino.

Motu ritè ſacro primus inæſtuat,
Flectat quo populos. intus agens Amor.
Facundis animam vocibus addidit,
Et linguâ potior manus.

Hæc illa nimirum cœleſtis facundiæ Texerianæ vis eſt, quæ tot annos Galliam perſonuit, & adhuc feliciſſimè vigens, æterniſque tot librorum conſignata monumentis, orbem terrarum maximo cum plauſu paríque fructu perſonat.

Aptæ clauſulæ ſunt verſuum quatuor, ſive una ſtrophe includatur, ſeu duplex: quomodo in hoc, præfixæ Currui Gloriæ, odes principio.

Belgarum Domitor redi,
Quò te Regis amor ſollicitus vocat,
Et mixtæ imperio preces,
Heroïſque quies parta laboribus.

Pars lepôris eſt, cùm verſus inciſo uno, vel membro conſtat: ſed ſuum etiam longiora membra lepôrem obtinent: ut in ode ad celeberrimum Vitæ Borgianæ ſcriptorem Antonium Verjuſium.

Quàm læta virtutum enituit ſeges
Doctæ beato munere copiæ,
Rerumque majeſtas amicâ
Eloquii decorata pompâ!

At ſtrophe ſubdita B. Aloyſii Gonzagæ, aulam deſerentis, tot membris, quot fieri potuit, diſtinguitur.

Odi coruſcæ inſignia purpuræ,
Dum nuda tingit membra Dei cruor;
Chriſtique me involvo decoris
Sordibus, opprobriiſque jacto.

His attexam perbellè quadratam tornatamque periodum Ludovici Mæratii, qui Theologicam ſapientiam quatuor ipſos & viginti annos ingenti gloria profeſſus, eandem ampliſſimis voluminibus totam complexus fuit, & idem poëtica ſcriptione haud inexercitatus, cujus varium ſpecimen in lucem edidit.

Dum me carmine, nobilis Poëta,
Ornas immeritum, mereris, ut te
Omnes carminibus ſuis poëtæ
Cunctis altiùs efferant poëtis.

Phaleucium iſtud quidem; ſed accenſetur genus hoc lyricis, admiſtumque eſt in ſuis ejuſmodi

operibus à magnis quibuſdam viris. neque Mæratianum opuſculum impar eſt Catullianis aliquot poëmatiis aut numero carminum, aut venuſtate. Rarò hi longè hendecaſyllabi procurrunt, niſi tractentur membratim. Odæ quæpiam Horatianæ verſibus octo comprehenduntur; & l.III.viceſima ſecunda, *Montium cuſtos nemorumque virgo &c.* clauſulâ unicâ definitur. Sed affert dignitatem operi tractus identidem longior periodorum; neque infrequenter à Flacco adhibetur, in Glyconïcis præſertim & Aſclepiadeis, atque in Alcaïcis: quo in poſteriori genere quarta ode libri IV. *Qualem miniſtrum*; ad octo & viginti carmina periodum primam extendit. In utraque ſpecie noſtros aliquot verſus exhibebo, modicam ultra periodum circumductos. Prius exemplum ducetur ab elogio in virum illuſtriſſimum Ludovicum Verjuſium, jam olim apud Electores aliosque Germaniæ Principes, nunc in Ratisbonenſibus Imperii Comitiis plenâ cum poteſtate Chriſtianiſſimi Regis Adminiſtrum.

Jamtum nobilis ingenî
Europe tenerum ſuſpiciens jubar,
Quâ mox turbida ſeculi
Inter luce micas nubila, ſenſerat;
Quantâ providus & ſagax
Regum impoſta geris mole negotia.
Teſtis, Luſiadûm caput,
Jactat quæ veteris nomen Vlyſſeï,
Aurato tumidùm alveo
Vrbs frænare Tagum, divitis & potens
Gangis barbara flumina,
Indi gemmiferos Oceani ſinus &c.

Alterum ſumatur ab ode in D. Ignatii contemplationem & lacrymas.

Vt noctilucas purpureo faces

Accendit igni Veſper, & humidis
Sublapſus umbris corda mergit
Victa ſopor, reſideſque ſenſus;
Summas domorum clam pius occupat
Loiola ſedes, unde micantium
Suſpectus aſtrorum ſequaces
Longè oculos animoſque paſcat

Locum habet magnitudo periodorum, ubi aut narratur aliquid aut deſcribitur ornatiùs, in amplificanda re, in laudandâ perſonâ, in ſimilitudine comparanda. Nec modò longitudinem perpetuam comprehenſionum fugere oportet; ſed neque in orbem ſemper decet circumferri. Caput eſt artis, numeri varietas. jam pro rerum naturâ & conditione, ut ſupra docuimus, carmina ſalebris nullis, & quaſi ſuâ ſponte pronóque lapſu fluant; interdum & torrens feratur poëſis, ac veluti præcipitet: jam inſiſtat, & tanquam laboret & offenſet. Apertè demum & breviter ut loquar; nunc particulis dictio incidenda, nunc dilatanda membris, nunc periodis explicanda. Quod ut aſſequamur, ceteraque hactenus præſcripta, Diſſertationes univerſas paucis commodiſque de Imitatione monitis exempliſque cumulabo.

DISSERTATIUNCULA

DE IMITATIONE.

POëſin univerſam plerique Imitatione definierunt: id quod primo libro expenſum à nobis eſt, déque perfectiſſima poëſi conceſſum. Hîc alia nobis imitatio proponitur, non actionis humanæ, ſed artificioſæ ſcriptionis. Quâ de re cùm latè

permulti ſcripſerint, ejus utilitatem atque adeo neceſſitatem, viamque multiplicem perſecuti; vulgatioribus ego ſupervacaneiſque prætermiſſis quæſtionem in pauca vel præcepta vel exempla conferam.

Ac primum hoc præcipiendum occurrit, ne quivis temere ad imitationem poëta arripiatur. Suo quiſque in genere eminentiſſimus (uti jam editum fuit in capite de ſtylo vario) deligatur, ſeculorum conſenſu præjudicioque comprobatus; in epicis Virgilius, Horatius in lyricis, in ceteris carminum formis agniti declaratique hominum doctorum & prudentium autoritate coryphæi. quanquam multa ſunt inter ſe poëtis omnibus communia, proindèque in diverſo etiam genere ſcribentibus opem lucemque conferre poſſunt; Virgilius maximè, qui vel ad lyrica, vel ad elegiaca ſententias, verba, figuras, motus largè ſuppeditet. *Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valdè placebit*; aiebat Quintilianus: pari ego ratione dixero; cui Maro valdè placebit. Ac quemadmodum idem Fabius à Livio ſcriptum refert, legendos Demoſthenem atque Ciceronem; tum ita ut quiſque eſſet Demoſtheni & Ciceroni ſimillimus: Homeri Virgiliique lectionem ſibi præſcriptam exiſtimet poëticæ tiro; cúmque ab iis diſceſſerit principibus, eorum qui ad Homerum Virgiliumque imitando proximè acceſſerint. Ibi commorandum habitandumque ſibi putet, nec ferè alio divertendum, antequam ſtylum finxerit. identidem reliqui *legendi quidem, ſed non ut phraſin, id eſt corpus eloquentiæ faciant*: velut admonet Fabius; qui Senecam robuſtis & ſeveriore genere firmatis permittit. Ex hoc videlicet, ex Lucano, ex Claudiano acutè dicta, vibrãtes ſententias, alia ex aliis gravitati Maronianæ

aſpergere licet : at materies omnis tanquam ſpiritu Maronis eſt informanda. Sumpſit ex Virgilio Ovidius non pauca, de rebus Æneæ præſertim; ſed ea locutionum & fabularum ſemina in Metamorphoſes, Faſtos, ceteraſque operum partes tranſlata, minùs vigent, quàm in Virgilianæ poëſeos velut natali fundo; quia felici illa quidem ſolo inſita, ſed quod juſto lætius non eandem naturæ vim obtineat, luxuriaque foliorum exuberet. Statius, ac Silius Italicus, & cuncti deinceps laudis poëticæ amatores, multa ex Virgilio ſumpſere, quæ poëmatis quiſque ſuis intexerent : & ornamenta compârent mutuata, ſed non æquè ac proprio naturalique loco & ſitu collucent.

Non ita Maro eſt imitatus, qui plurima ex Græcis Latiniſque aſſumendo, meliora fecit, adoptivoſque fetus ſuapte quaſi parentis ſimilitudine inſigniit. Quid ab Homero ceteriſque Græcis, ac Latinis etiam quibuſdam ſuos in uſus verterit, obſervatum paſſim reperitur : atenim unde hauſerit largiſſimè, nuſquam indicatum legere me memini. poëma Catulli intelligo de Nuptiis Pelei & Thetidos: ex quo tria Macrobius; plura multò Scaliger, ſed non aptiſſimè retulit. *Argonautica* (ſic vocat poëma illud nuptiale) *dico ejuſmodi confecta oratione, ut ſine ineptiis rarò quiſpiam poſſit imitari. id quod ſummus poëta facere aggreſſus, eluſit primùm ſpem ſuam in Ciri; deinde majore operâ poſitâ, diligentiaque adhibitâ in divinis Georgicis ſuperavit.* Fragmenta varia Catulli ſubjicit, expreſſa in poëmatio de Ciri: & ad extremum novem ex tertio Georgicon, ubi Virgilius *Amoris vim*, inquit, *majore cultioreque ſpiritu declaravit.* Sed in his veſtigium imitationis nullum; & nihil cogitaſſe hominem de libris

Æneidos mirere, ubi non reſpexit Catullum Maro, ſed exſcripſit. quo cùm inſignius exemplum imitationis adduci non poſſit, locos inter ſe conferre non pigebit.

Catullus. *Tota domus gaudet regali ſplendida gaza.*
Virgilius. *At domus interior regali ſplendida luxu.* Æn. I.
Catull. *Toto concepit pectore flammam.*
Virgil. *Necdum animus toto percepit pectore flammam*; l. VII.
Cat. *Errabunda regens tenui veſtigia filo.*
Virg. *Errabunda bovis veſtigia.* Ecl. VI.
Cæca regens filo veſtigia. Æn. VI.
Cat. *Tecti fruſtraretur inobſervabilis error.*
Virg. *Falleret indeprenſus & irremeabilis error.* l. V.
Hic labor ille domus, & inextricabilis error. l. VI.
Cat. *Siccine me patriis abductam, perfide, ab oris,*
Perfide deſerto liquiſti in littore Theſeu?
Virg, *Diſſimulare etiam ſperaſti perfide* ... l. IV.
Cat. *Nullàne res potuit crudelis flectere mẽtis conſiliũ.*
Virg. *Num fletu ingemuit noſtro! num lumina flexit?*
Cat. *At non hæc quondam blandâ promiſſa dediſti*
Voce mihi: non hoc miſeram ſperare jubebas;
Sed connubia læta, ſed optatos hymenæos:
Quæ cuncta aërii diſcerpunt irrita venti.
Virg. *Non hæc Evandro de te promiſſa parenti*
Diſcedens dederam: Non hæc, ô Palla, dederas &c. l. XI.
Quid me cœlum ſperare jubebas. Georg. IV.
Per connubia noſtra; per inceptos hymenæos, l. IV. Æn. *Sed auræ*
Omnia diſcerpunt & nubibus irrita donant. IX.
C. *Certè ego te medio verſantem in turbine lethi eripui.* Virg *ejectum littore, egentem excepi.* l. IV.
C. *Quænam te genuit ſolâ ſub rupe leæna?*
Quod mare &c.
V. *Sed duris genuit te cautibus horrens Caucaſus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres*

C. *Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vaſta Charybdis?*

V. *Quid Syrtes, quid Scylla mihi, quid vaſta Charybdis?* l. VII.

Cat. *Nec miſſas audire queunt, nec reddere voces.*

Virg. *veras audire & reddere voces.* l. I.

Cat. *utinam nec tempore primo Gnoſſia Cecropiæ tetigiſſent littora puppes.*

Virg. *ſi littora tantùm Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.* IV.

Cat. *in noſtris requieſſet ſedibus hoſpes.*

Virg. *Quis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes!*

Cat. *Nam quò me referam? ... petam montes* &c.

Virg. *Nam quid diſſimulo? En quid agam? rurſuſne* &c.

C. *oſtentant omnia lethū.* V. *intentant omnia mort.*

Sequitur imprecatio, quam auxit ornavitque Maro.

C. *Talia divino fuderunt carmine fata. currite fuſi.*

V. *Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis* &c. ecl. IV.

Cat. *Perfudere manus fraterno ſanguine fratres.*

Virg. *gaudent perfuſi ſanguine fratrum.* Georg. II.

Cat. *Omnia fanda, nefanda malo permiſta furore.*

Virg. *Quippe ubi fas verſum atque nefas;* G. I. &c.

Hæc univerſa pluráque (minutiora prætereo) ex uno Catulli poëmate excerpſit Virgilius; tantamque excerptis præſtantiam addidit, ut emendationis præbere ſpecimen, neque ad unguem perpolitæ materiæ, quantum in rem ſuam converteret, ultimam imponere manum voluiſſe videatur. Optima quæque delibavit, & argumento ſuo aptiſſima; cavítque ſibi cùm ab aliis nævis aut maculis, tum à frequentioribus Catulli ſpondaïcis, quales verſus in ipſo prooemio quinque occurrunt.

Id adeo ſtatuendum eſt, ſecundùm ejus deſignationem autoris quem imitêre, quatenus prodire imitatio debeat, ne longiùs impudentiuſ-

que progrediatur : deinde excipienda fugiendaque vitia, quæ potiſſimùm affectantur affectantque pravi imitatores : tum imitatione corrumpendum nihil, ſed eò incumbendum, ut quem ſequeris, aſſequare, aut, ſi potes, etiam præcurras. Quæ breviter ſingula exequar, cunctáque exemplis illuſtrabo.

M. Seneca refert à Silone recitatum carmen, *in quo agnovimus*, inquit, *ſenſum Latronis. Belli moræ concidit Hector. Tam diligentes tum auditores erant, ne dicam tam maligni, ut unius verba ſurripi non poſſent. at nunc cuilibet orationes invertere tutò licet pro ſuis. Sed ut ſciatis ſenſum bene dictum dici tamen poſſe meliùs, notate præ ceteris quantò decentius Virgilius dixerit hoc, quod valde erat celebre.*

Quidquid apud duræ ceſſatum eſt mœnia Trojæ, Hectoris Æneæque manu victoria Grajûm hæſit.

Propiorem omiſit apertioremque vel imitationem, vel mutuationem, ex l. Æn. x. *pugnæ nodumque moramque.* Atenim quod imprimis ait de notatione auditorum, expilationiſque licentiâ; abutuntur ſanè recentiores multi inſcitiâ lectorum, auditorum; publica illis bona, in ſuos uſus averſa, offerentes; quos vel unius hominis haud indocti conſcientiam revereri oportuit. Etiam magni ſæpe viri temperare ſibi non poſſunt, quin ipſa lumina aliorum involent. poëtæ gregarii promiſcuè invadunt aliena, corraduntque delectu pariter & pudore nullo.

Veterum ego legenda mihi veſtigia reputavi magis quàm premenda. recentium autem in operibus nonnulla ſum aliquando miratus iis gemina, quæ, priuſquam eorum apparerent libri, meis vulgaveram. At facile in eandem unam incurri poteſt vel ſententiam, vel elocutionem (quan-

quam inſignium notâ aliquâ dictorum ſuſpecta propagatio eſt.) Quin honori duxero, è meis aliquid opuſculis ab imitatore induſtrio decerpi. ſed octo ipſos continentes verſus, omnino integros aliquos, alios paucis in deterius mutatis vocibus, è *Curru Gloriæ* abſtraxiſſe; non imitatio, non mutuatio, ſed mera direptio ac deprædatio eſt. Nomini parco hominis certè non mali, at malè tamen, quamvis innoxio furto, aliena contrectantis. Audiant verò Mercuriales iſti viri, ſed raptores præſertim, qui ſeu priſca, ſeu nova melioris notæ carmina, ne verſis quidem rerum indiciis tanquam ſpolia poëtica oſtentant; Horatium audiant epiſt. III.

Quid mihi Celſus agit, monitus multumq; monendus,
Privatas ut quærat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcunque recepit Apollo &c.

Poëtas primarios fœdè quidam lacerant, & cruda quaſi membra devorant. Nimius eſt profectò Vidas imitator: cujus animadvertit Scaliger Poëticam eſſe pænè parodiam Virgilii; non iis tantum locis, quibus ex illo apponit exempla; verùm etiam, ubi ſuas ipſe leges fert. *Ac profectò imitationis modus*, inquit, *ut eſt omnibus bonis poëtis peculiaris, oportet verum eſſe modum, id eſt, non immodicum; ut cento quidam judicari poſſit.* & infrà notam inurit graviorem ejus imitationi, ex Lucretio & Catullo cum Virgilio commiſtæ. Nec verò ineptè confuſo iſtiuſmodi ſtylo accommodes illud Ovidianum:

Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas.

Dulces amaris aquæ intermiſtæ coaceſcunt. neque enim ſatis amaritiem illam mitigandi purgandique rationem à Marone condidicit. Quod ſi quid Maro aut guſtu acrius, aut aſpectu invenuſtius ab Ennio aliiſve incmendatum adſcivit; & rarum

illud, & ita loco poſitum, circumfuſaque vel ſuavitate vel pulchritudine temperatum, ut & acrimonia palatum irritet, & vetuſtatis ſitus oculos delectet. Duplicem is viam imitandi, præter ſuperiora, indicavit duplici verſu ex alio Catulli poëmate de Coma Berenices.

Invita, ô Regina, tuo de vertice ceſſi. Catull.
Invitus, Regina, tuo de littore ceſſi, Æn. l. VI.

Non diſſimulavit; ad ſe palàm traduxit propè ſolidum verſum. tectiùs egit in altero.

Quid facient crines, cùm ferro talia cedant? Cat.
Quid domini facient, audent cùm talia fures? V. Ecl.

Verecundior hæc, obſcura, fallenſque imitatio, & uſu probabilior. Baldeus ingenioſè ad lyram cecinit, *Horatium imitari ſe quandoque non imitando:* ſcilicet non illi inhærendo ſuperſtitioſiùs, & ſervilem in modum ſubſequendo. Imitatus eſt Flaccum Sarbievius, nihil ab eo præter unam vocem accipiens, ſed intuens eminus antecedentem l. IV. ode II.

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari &c.

Veriùs de ſacra Davidis poëſi Æmulus Horatii.

Jeſſea quiſquis reddere carmina
Audet Latini pectine barbiti,
Audet remoliri ſuperbæ
Turrigeras Babylonis arces.

Ipſum nos reſpeximus Sarbievium, Virgini Matri canentem;

Seu celſa gaudes Cedrus in arduo
Nutare Sina, ſeu Libano ſuper
Cupreſſus, aut latè Cadanis
Populus aſpicienda campis.

Et reſpexerat ipſe ad caput Eccleſiaſtici XXIV. ubi ſenſu myſtico Deipara, divino ſpiritu de ſe prædicat; *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano* &c. Sed ille ſanctas arbores loco movit, aliaſque aliò

tranſtulit, Sinam montibus, populum arboribus permiſcendo. Nos deſcriptioni ſacræ inſtitimus, diviſaſque arboribus regiones nihil turbavimus.

Seu tu Sionæo ardua vertice
Regnas Cupreſſus, ſeu Libano Cedrus
Ingens coruſcas, ſeu Cadano
Palma vires generoſa ſaltu.

Quod autem ad imitationem propoſuiſſe videmur poëmatium de Actiaca victoriâ; nimium eſſet utique non imitationis, at prædationis, ſi quis tantum Virgiliani carminis operi cuipiam ſuo infereret. Alia mens noſtra fuit, quæ ſatis in præfatiunculá perſpicitur, ubi rationem ſegmenti poëtici in poëma legitimum porrigendi ſignavimus; propoſitionem duntaxat & invocationem tironum imitationi objecimus. Quæ verò noſtra in contextum poëmatis addidimus, ea juſtæ imitationis limites non tranſeunt, unicum ſi verſum exceperis, in quo vox una ſolùm eſt commutata.

Iam â vitiis perverſâ imitatione conſectandis vera nos ratio, formaque expreſſi â Catullo Virgilii, nullâ accedente oratione, deterreant. At hoc parum fuerit, niſi etiam provideatur, ne quis vitium labemque integris & ſanis, quas tractat, partibus inferat: eos ut demum, quos habet ad imitandum expoſitos, aut ſuperet aut æquet certè, æmulator potiùs quàm imitator. Ac malæ quidem tractationis exemplum quod affinius huic diſputationi adduci poteſt, quàm ſi quis pulcherrimam Clypei Vulcanii deſcriptionem â calce libri Æneidos octavi trajiceret ad libri duodecimi primordia, cum Æneas procedit ad pugnam *Sidereo flagrans clypeo*? Et Turnum vacuo loco armavit Maro; (*Cui triplici crinita jubâ galea alta Chimæram ſuſtinet* &c.) l. VII. breviter, ut decuit; ampliſſimam eloquentiæ partem in illas Roma-

næ gloriæ imagines triumphales collaturus. Id verò per otium: nunc *tempus agi res.* alioqui peccatum illud in Scuto Herculis notatum inter diſſerendam Narrationem, ſuſceperis.

Iure meritoque reprehenſus fuit Sannazarius, quem ſtudium imitationis Virgilianæ ſic abripuit, egitque transverſum, ut Magnæ Matri, ad crucem, quod novimus ex hiſtoriâ Evangelica, conſtantiſſimo invictiſſimoque animo perſtanti, affectus indigniſſimos affingeret, *luctiſonum ululatum*, aſtrorum crudelium deteſtationem, aliaque in Euryali, non in Dei parentem cadentia. Dicat ſanè; *Hunc ego te, Chriſte*, aut *Nate, aſpicio?* ſummâ cum admiratione, & doloris acerrimâ vi, ſed perfectiſſimâ ſimul cum animi præſentia, ſapientia, Divinæ legi ſubmiſſione, patientia Martyrum omnium fortitudinem ſuperante.

Quo loco ut taceam de pictorum quorumdam imprudentiâ, collapſam Divam ementientium, quam integris ſenſibus erectam in medio acerbiſſimorum filii dolorum æſtu, ipſiuſque voces percipientem fidiſſimus aſſecla, mox etiam adoptivus ex Chriſti ſuprema voluntate filius, teſtatur; quid Apelli Belgico facias Rubeni, decantatam induſtriam Græci pictoris inconſultè prorſus imitato? Timanthes cùm immolandam Iphigeniam pinxiſſet; cunctáque mœroris imagine in reliquis adſtantibus conſumptâ, patrium ſenſum imitari penicillo non poſſet; Agamemnonis caput obvolvit, ſummúmque luctum aptiùs celando monſtravit. Magnum aliquid mirúmque laudatiſſimus Ruben facturum ſe credidit, ſi Dilectum Chriſto Diſcipulum ad crucem fingeret oculos ſibi reductâ veſte obtegentem, dum emortui jam Domini latus impii militis lancea peteretur. Neque attendit bonus vir, ipſum illum Ioannem diſertis verbis

in ſacroſancto monumento conſignaſſe, exeuntem ſupremo iſto vulnere cum aquâ ſanguinem ſe vidiſſe, idoneoque rem proinde teſtimonio confirmare. Sic graviter ex incogitantia, ne dicam inſcitiâ, offendit egregia pictura, ſed veritati ac fidei repugnante.

Vt in pictura, ſic in poëſi ex imitatione præpoſtera delinquitur. Nec leviùs profectò Vidas, quàm Sannazarius, decorum violavit in eodem argumento; niſi quòd in Chriſtiade mater *crudelia* non appellat *ſidera*. Quâ verò ſimilitudine Chriſtum, irruenteſque ad eum capiendum milites exprimit!

Non aliter, quàm conjectum cùm in retia rara
Cervum, aut fulmineis metuendum dentibus aprum
Paſtorum circum ſævit manus.

Cum leone quidem comparatum ſcio Chriſtum in Apocalypſi, Deum alibi cum feris etiam aliis; ſed irâ incenſum, ſed ultioni accinctum Deum: qualis certè non extitit eo rerum articulo mitiſſimus, ultroque devotus omnium & dolorum & probrórum acerbitati IESVS. Rectè cum tu varias ob cauſas, Vida, cervum dixeris, ut habet Pſalmi primi & viceſimi inſcriptio: rectè venatoribus ſimiles Iudaici furoris ſatellites nefarios in Chriſtum immiſſos. At Paſtorem optimum, apri nomine deformare; latrones immaniſſimos, paſtores nominare; quænam iſta rerum perturbatio! quàm abſona indecoraque collatio! Paſtorem accommodatiùs dicas à lupis circumfuſum, divexatum, laniatum. Legerat nempe Turni cum cervo, Mezentii cum apro ſimilitudines comparatas. Vtramque voluit conjungere; ſed poſteriorem ab idoneo loco in peregrinum longeque abhorrentem imitatione profana tranſtulit.

Hactenus de vitioſa circa inventionem & diſ-

poſitionem, orationes, motus, ac ſimilitudines imitatione: ſtrictim nunc de ipſâ metrorum coagmentatione imitandâ. Licet nonnunquam carmen integrum, aut levi quadam immutatione adoptare. id egit Maro in Enniano verſu: *Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.* Melius effecit ac robuſtius;

Unus qui nobis cunctando reſtituis rem.

Sic illud Propertii de Marcelli vitâ anguſtis finibus concluſâ;

Tot bona tam parvo clauſit in orbe dies;

Euchariſtiæ Divinæ applices, ultima voce, *dies*, in hanc, *Deus*, converſâ. Verùm hæc alluſio, non germana imitatio eſt. In tetraſtichis illis Magnieni celebratiſſimis, quæ *Horologium Eccleſiaſticum, ſive Officii Divini cum Dominica Paſſione Concentus*, inſcripta ſunt, extat imitatio hæc Virgiliani carminis;

& tamen hæc oculis Deus aſpicit æquis!

plus aliquanto ſumptum velim, ac retentam vocem, *pater*, quæ graviſſimum habuerit pondus, & ſtructuram ipſam carminis elegantiorem præſtiterit. hic latebra non quæritur: patet mutuatio: ſatis eſt motum loco fuiſſe nomen. Stet igitur majoris admirationis cauſa: *& pater hæc oculis Deus aſpicit æquis!* Quam ego notam hîc appono pietatis gratiâ, quoniam iſto concentu ſacro omnia circumſonant. Famianus Strada pluribus Virgilianum expreſſit libri Æn. tertii principium; *Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem* &c.

Poſtquam res Cypri, ſedemque evertere regni
Odryſiæ potuere acies, ceciditque ſuperba
Nicoſia, atque omnis mœret Cytherea tellus.

Luculentè: ſed illæ tamen voces, *Aſiæ*, *Priami*, nitidiores, quàm, *Cypri*, *regni*, pleniorem gratioremque

tioremque numerum explicant. Materia, non ars, imitantem defecit. Nobis autem, præclarum iſtud è Georg. primo, *neque audit currus habenas*, in poëma de Immortalitate Bethunianâ traducentibus materia favit, Petri cœleſtis poteſtas.

Et claves audit Olympus.

Illa de Turno Virgiliana; *ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro*; conſecutus hic verſus eſt:

Vltro animam ponit Chriſtus, ſéque immolat ultro.

Tum quod adeo magnificè in laudem Cæſaris Maro cecinit; *Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris*; magnificentius redditum eſt argumenti beneficio, de Chriſtianiſſimo, déque Catholico Regibus in Pacificam Inſulam convenientibus. uterque videlicet

Oceanum imperio, famâ transvectus Olympum.

Nihil de Centonibus dicam, quorum etiam Hieronymus meminit, Græcorum ex Homero, Latinorum ex Virgilio conſutorum de Chriſto carminum. At hoc laborioſum magis, quàm ſpecioſum inventum, laudabile quidem cùm pietati impenditur, ad veram imitationem non pertinet. Parodia verò, quâ velut imagine ſingula propoſiti ad effingendum poëmatis quaſi lineamenta ducuntur, à Ioan. Bapt. Maſculo frequentata fuit perpetuis lyricorum libris: non vetus illa ad ſerios verſus in ridiculum detorquendos inſtituta; ſed profanos ſenſus ad religioſa ferè argumenta convertens. Sarbievius item odas aliquot Flacci improbas expiavit; ad pietatem, quâ erat ingenii facilitate induſtriaque, vocavit. Et nos ejuſdem Horatii carmen, *Quem virum, aut heroa*, &c. veros ad Cœlites tranſtulimus: Davidis næniam in Saülem & Ionathan, ad Petrum & Paulum Apoſtolos commorientes fleximus. Verùm ejuſmodi imitatio maximè celebrata eſt in Phaſelo Catul-

liano, à variis varia ad argumenta ducendo, in quibus eminet Gabriëlis Coſſartii, viri quondam eloquentiæ famâ clariſſimi, majoribuſque operibus, & præſertim Conciliorum editione commemorabilis, parodia *in Itinerarium Ludovici Lomenii, Briennæ Comitis.*

Libellus iſte, quem ſtupetis Aulici,
Ait fuiſſe codicum breviſſimus :
Nec ullius tumente mole codicis
Nequiſſe major ire ; ſive ſenſibus
Libros decet putare, ſive vocibus.
Et hoc negat ſuperbus ampla Livii
Negare ſcripta, principiſve Tullii &c.

Plura, de ſacris potiſſimùm, aggregem imitationis exempla, niſi me ſtudium revocet brevitatis. & multa ex omni genere diſſeminavi toto paſſim opere, laudatis veterum ac recentiorum Poëtarum carminibus. Reliquum eſt, ut ſua Poëmati comparetur inſcriptio.

DE POEMATIS INSCRIPTIONE *Parergon.*

OPeri magnificè jam exædificato, vel palatio, vel monumento cuivis publico, titulus in ipſâ fronte ſolet præfigi, qui rem breviter ſignet, aut etiam commendet. De compendiaria laude, quæ inſcriptione concipitur, alibi dictum eſt : hîc de nudo poëmatis argumento quæritur.

Tituli Poëmatum alii petuntur à loco, ad quem geſta res fuit, carmini ſubjecta ; ut Ilias, Thebaïs: alii ab Heroë qui canitur ; ut Odyſſea, Æneis. Et locus aliquando & perſona conjunguntur ; ut Oedipus Coloneus, Hercules Oetæus. Adduntur alia nonnunquam indicia & diſcrimina. inde Hercules Furens, Ajax Flagellifer, Hieroſolyma Libe-

rata. Operum hæ magnorum, epicorum, tragicorum, inſcriptiones. Similis eſt minorum poëmatum ratio, vel perpetuorum, vel inciſorum. Theocritus modò rei tractandæ caput, modò acturas perſonas Idylliis ſuis inſcripſit. Appellationem iſtam amarunt poëmatia Franciſci Montmorenci, *Idyllia*, ſed *Sacra*, cum Canticis: quæ ſcriptori ſuo veriorem ſplendidioremque gloriam pia poëſis, quàm generis antiquiſſimi nobilitas, peperit.

Virgilius Bucolica ſua, non ille quidem Idyllia cum Theocrito appellavit, ſed Eclogas; quarum unam, re canendâ, Pharmaceutriâ cum illo prænotavit; ceteras, partim perſonâ, quam canentem induceret, præcipuâ, ut Tityro; partim eâ, quam carminis materiem faceret, ut Alexi. Cui poſteriori nomine affinis, argumento longè ac metro diverſa, extat Alexias, elegiarum perelegans manipulus, in D. Alexium compoſitarum à Franc. Remondo; qui celeberrimas urbes Italiæ, & hoc ipſum, ubi nunc ſcribo, gymnaſium Theologicâ doctrinâ poëſique divinâ illuſtravit. At Catalecta, quibus imperfecta ſignificantur opera, demiſſiùs quàm veriùs dixit carmina ſua Poſſinus, omni ſcientiarum genere perfectus, nec minùs quàm Remondus olim, in Romana luce ſpectatus.

Ita Silvæ, opuſculorum feſtinatorum nomen, à Statio crebriſque aliis & veteribus & novis eſt uſurpatum autoribus; libriſque ſuis, non veritatis, ut opinor, ſtudio magis quàm modeſtiæ, præſcriptum. Quâ de re aliquanto plura dicam, cùm in uſu familiari ſit poſita, quem primùm hæc mea ſpectat inſtitutio; ac frequenter ex titulo conjectura de opere univerſo capiatur. Neque opera feſtinationis nomine, ſtatim aut laudanda ſunt, aut reprehendenda; cùm inelegans vitioſaque celeritas meritò explodatur; & felicitas puræ ac pro-

Æneidos mirere, ubi non reſpexit Catullum Maro, ſed exſcripſit. quo cùm inſignius exemplum imitationis adduci non poſſit, locos inter ſe conferre non pigebit.

Catullus. *Tota domus gaudet regali ſplendida gaza.*

Virgilius. *At domus interior regali ſplendida luxu.* Æn. I.

Catull. *Toto concepit pectore flammam.*

Virgil. *Necdum animus toto percepit pectore flammam*, l. VII.

Cat. *Errabunda regens tenui veſtigia filo.*

Virg. *Errabunda bovis veſtigia.* Ecl. VI.
Cæca regens filo veſtigia. Æn. VI.

Cat. *Tecti fruſtraretur inobſervabilis error.*

Virg. *Falleret indeprenſus & irremeabilis error.* l. V.
Hic labor ille domus, & inextricabilis error. l. VI.

Cat. *Siccine me patriis abductam, perfide, ab oris,*
Perfide deſerto liquiſti in littore Theſeu?

Virg. *Diſſimulare etiam ſperaſti perfide* ... l. IV.

Cat. *Nullàne res potuit crudelis flectere mētis conſiliū.*

Virg. *Num fletu ingemuit noſtro! num lumina flexit?*

Cat. *At non hæc quondam blandâ promiſſa dediſti*
Voce mihi: non hoc miſeram ſperare jubebas;
Sed connubia læta, ſed optatos hymenæos:
Quæ cuncta aërii diſcerpunt irrita venti.

Virg. *Non hæc Evandro de te promiſſa parenti*
Diſcedens dederam. Non hæc, ô Palla, dederas &c. l. XI.
Quid me cœlum ſperare jubebas. Georg. IV.
Per connubia noſtra; per inceptos hymenæos, l. IV. Æn. *Sed auræ*
Omnia diſcerpunt & nubibus irrita donant. IX.

C. *Certè ego te medio verſantem in turbine lethi eripui.* Virg *ejectum littore, egentem excepi.* l. IV.

C. *Quænam te genuit ſolâ ſub rupe leæna?*
Quod mare &c.

V. *Sed duris genuit te cautibus horrens*
Caucaſus, Hyrcanæque admorùnt ubera tigres

C. *Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vaſta Charybdis?*

V. *Quid Syrtes, quid Scylla mihi, quid vaſta Charybdis?* l. VII.

Cat. *Nec miſſas audire queunt, nec reddere voces.*

Virg. *veras audire & reddere voces.* l. I.

Cat. *utinam nec tempore primo*
Gnoſſia Cecropiæ tetigiſſent littora puppes.

Virg. *ſi littora tantùm*
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ. IV.

Cat. *in noſtris requieſſet ſedibus hoſpes.*

Virg. *Quis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes!*

Cat. *Nam quò me referam? . . . petam montes* &c.

Virg. *Nam quid diſſimulo? En quid agam? rurſuſne* &c.

C. *oſtentant omnia lethũ.* V. *intentant omnia mort*[illegible]

Sequitur imprecatio, quam auxit ornavitque Maro.

C. *Talia divino fuderunt carmine fata. currite fuſi.*

V. *Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis* &c. ecl. IV.

Cat. *Perfudere manus fraterno ſanguine fratres.*

Virg. *gaudent perfuſi ſanguine fratrum.* Georg. II.

Cat. *Omnia fanda, nefanda malo permiſta furore.*

Virg. *Quippe ubi fas verſum atque nefas*; G. I. &c.

Hæc univerſa pluráque (minutiora prætereo) ex uno Catulli poëmate excerpſit Virgilius; tantamque excerptis præſtantiam addidit, ut emendationis præbere ſpecimen, neque ad unguem perpolitæ materiæ, quantum in rem ſuam converteret, ultimam imponere manum voluiſſe videatur. Optima quæque delibavit, & argumento ſuo aptiſſima; cavítque ſibi cùm ab aliis nævis aut maculis, tum à frequentioribus Catulli ſpondaïcis, quales verſus in ipſo prooœmio quinque occurrunt.

Id adeo ſtatuendum eſt, ſecundùm ejus deſignationem autoris quem imitêre, quatenus prodire imitatio debeat, ne longiùs impudentiuſ-

que progrediatur : deinde excipienda fugiendaque vitia, quæ potiſſimùm affectantur affectantque pravi imitatores : tum imitatione corrumpendum nihil, ſed eò incumbendum, ut quem ſequeris, aſſequare, aut, ſi potes, etiam præcurras. Quæ breviter ſingula exequar, cunctáque exemplis illuſtrabo.

M. Seneca refert à Silone recitatum carmen, *in quo agnovimus*, inquit, *ſenſum Latronis. Belli moræ concidit Hector. Tam diligentes tum auditores erant, ne dicam tam maligni, ut unius verba ſurripi non poſſent. at nunc cuilibet orationes invertere tutò licet pro ſuis. Sed ut ſciatis ſenſum bene dictum dici tamen poſſe meliùs, notate præ ceteris quantò decentius Virgilius dixerit hoc, quod valde erat celebre.*

Quidquid apud duræ ceſſatum eſt mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Grajûm hæſit.

Propiorem omiſit apertioremque vel imitationem, vel mutuationem, ex l. Æn. x. *pugnæ nodumque moramque*. Atenim quod imprimis ait de notatione auditorum, expilationiſque licentiâ; abutuntur ſanè recentiores multi inſcitiâ lectorum, auditorum; publica illis bona, in ſuos uſus averſa, offerentes; quos vel unius hominis haud indocti conſcientiam revereri oportuit. Etiam magni ſæpe viri temperare ſibi non poſſunt, quin ipſa lumina aliorum involent. poëtæ gregarii promiſcuè invadunt aliena, corraduntque delectu pariter & pudore nullo.

Veterum ego legenda mihi veſtigia reputavi magis quàm premenda. recentium autem in operibus nonnulla ſum aliquando miratus iis gemina, quæ, priuſquam eorum apparerent libri, meis vulgaveram. At facile in eandem unam incurri poteſt vel ſententiam, vel elocutionem (quan-

quam inſignium notâ aliquâ dictorum ſuſpecta propagatio eſt.) Quin honori duxero, è meis aliquid opuſculis ab imitatore induſtrio decerpi. ſed octo ipſos continentes verſus, omnino integros aliquos, alios paucis in deterius mutatis vocibus, è *Curru Gloriæ* abſtraxiſſe; non imitatio, non mutuatio, ſed mera direptio ac deprædatio eſt. Nomini parco hominis certè non mali, at malè tamen, quamvis innoxio furto, aliena contrectantis. Audiant verò Mercuriales iſti viri, ſed raptores præſertim, qui ſeu priſca, ſeu nova melioris notæ carmina, ne verſis quidem rerum indiciis tanquam ſpolia poëtica oſtentant; Horatium audiant epiſt. III.

Quid mibi Celſus agit, monitus multumq; monendus,
Privatas ut quærat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcunque recepit Apollo &c.

Poëtas primarios fœdè quidam lacerant, & cruda quaſi membra devorant. Nimius eſt profectò Vidas imitator: cujus anïmadvertit Scaliger Poëticam eſſe pænè parodiam Virgilii; non iis tantum locis, quibus ex illo apponit exempla; verùm etiam, ubi ſuas ipſe leges fert. *Ac profectò imitationis modus*, inquit, *ut eſt omnibus bonis poëtis peculiaris, oportet verum eſſe modum, id eſt, non immodicum; ut cento quidam judicari poſſit.* & infrà notam inurit graviorem ejus imitationi, ex Lucretio & Catullo cum Virgilio commiſtæ. Nec verò ineptè confuſo iſtiuſmodi ſtylo accommodes illud Ovidianum:

Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas.

Dulces amaris aquæ intermiſtæ coaceſcunt. neque enim ſatis amaritiem illam mitigandi purgandique rationem à Marone condidicit. Quod ſi quid Maro aut guſtu acrius, aut aſpectu invenuſtius ab Ennio aliiſve incmendatum adſcivit; & rarum

illud, & ita loco poſitum, circumfuſaque vel ſuavitate vel pulchritudine temperatum, ut & acrimonia palatum irritet, & vetuſtatis ſitus oculos delectet. Duplicem is viam imitandi, præter ſuperiora, indicavit duplici verſu ex alio Catulli poëma'e de Coma Berenices.

Invita, ô Regina, tuo de vertice ceſſi. Catull.
Invitus, Regina, tuo de littore ceſſi, Æn. l. VI.

Non diſſimulavit; ad ſe palàm traduxit propè ſolidum verſum. tectiùs egit in altero.

Quid facient crines, cùm ferro talia cedant? Cat.
Quid domini facient, audent cùm talia fures? V. Ecl.

Verecundior hæc, obſcura, fallenſque imitatio, & uſu probabilior. Baldeus ingenioſè ad lyram cecinit, *Horatium imitari ſe quandoque non imitando*: ſcilicet non illi inhærendo ſuperſtitioſiùs, & ſervilem in modum ſubſequendo. Imitatus eſt Flaccum Sarbievius, nihil ab eo præter unam vocem accipiens, ſed intuens eminus antecedentem l. IV. ode II.

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari &c.

Veriùs de ſacra Davidis poëſi Æmulus Horatii.

Jeßea quiſquis reddere carmina
Audet Latini pectine barbiti,
Audet remoliri ſuperbæ
Turrigeras Babylonis arces.

Ipſum nos reſpeximus Sarbievium, Virgini Matri canentem;

Seu celſa gaudes Cedrus in arduo
Nutare Sina, ſeu Libano ſuper
Cupreſſus, aut latè Cadanis
Populus aſpicienda campis.

Et reſpexerat ipſe ad caput Eccleſiaſtici XXIV. ubi ſenſu myſtico Deipara, divino ſpiritu de ſe prædicat; *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano* &c. Sed ille ſanctas arbores loco movit, aliaſque aliò

tranſtulit, Sinam montibus, populum arboribus permiſcendo. Nos deſcriptioni ſacræ inſtitimus, diviſaſque arboribus regiones nihil turbavimus.

Seu tu Sionæo ardua vertice
Regnas Cupreſſus, ſeu Libano Cedrus
Ingens coruſcas, ſeu Cadano
Palma vires generoſa ſaltu.

Quod autem ad imitationem propoſuiſſe videmur poëmatium de Actiaca victoriâ; nimium eſſet utique non imitationis, at prædationis, ſi quis tantum Virgiliani carminis operi cuipiam ſuo insereret. Alia mens noſtra fuit, quæ ſatis in præfatiunculâ perſpicitur, ubi rationem ſegmenti poëtici in poëma legitimum porrigendi ſignavimus; propoſitionem duntaxat & invocationem tironum imitationi objecimus. Quæ verò noſtra in contextum poëmatis addidimus, ea juſtæ imitationis limites non tranſeunt, unicum ſi verſum exceperis, in quo vox una ſolùm eſt commutata.

Iam à vitiis perverſâ imitatione conſectandis vera nos ratio, formaque expreſſi à Catullo Virgilii, nullâ accedente oratione, deterreant. At hoc parum fuerit, niſi etiam provideatur, ne quis vitium labemque integris & ſanis, quas tractat, partibus inferat: eos ut demum, quos habet ad imitandum expoſitos, aut ſuperet aut æquet certè, æmulator potiùs quàm imitator. Ac malæ quidem tractationis exemplum quod affinius huic diſputationi adduci poteſt, quàm ſi quis pulcherrimam Clypei Vulcanii deſcriptionem à calce libri Æneidos octavi trajiceret ad libri duodecimi primordia, cum Æneas procedit ad pugnam *Sidereo flagrans clypeo*? Et Turnum vacuo loco armavit Maro; (*Cui triplici crinita jubâ galea alta Chimæram ſuſtinet* &c.) l. VII. breviter, ut decuit; ampliſſimam eloquentiæ partem in illas Roma-

næ gloriæ imagines triumphales collaturus. Id verò per otium: nunc *tempus agi res*. alioqui peccatum illud in Scuto Herculis notatum inter diſſerendam Narrationem, ſuſceperis.

Iure meritoque reprehenſus fuit Sannazarius, quem ſtudium imitationis Virgilianæ ſic abripuit, egitque transverſum, ut Magnæ Matri, ad crucem, quod novimus ex hiſtoriâ Evangelica, conſtantiſſimo invictiſſimoque animo perſtanti, affectus indigniſſimos affingeret, *luctiſonum ululatum*, aſtrorum crudelium deteſtationem, aliaque in Euryali, non in Dei parentem cadentia. Dicat ſanè; *Hunc ego te, Chriſte*, aut *Nate, aſpicio?* ſummâ cum admiratione, & doloris acerrimâ vi, ſed perfectiſſimâ ſimul cum animi præſentia, ſapientia, Divinæ legi ſubmiſſione, patientia Martyrum omnium fortitudinem ſuperante.

Quo loco ut taceam de pictorum quorumdam imprudentiâ, collapſam Divam ementientium, quam integris ſenſibus erectam in medio acerbiſſimorum filii dolorum æſtu, ipſiuſque voces percipientem fidiſſimus aſſecla, mox etiam adoptivus ex Chriſti ſuprema voluntate filius, teſtatur; quid Apelli Belgico facias Rubeni, decantatam induſtriam Græci pictoris inconſultè prorſus imitato? Timanthes cùm immolandam Iphigeniam pinxiſſet; cunctáque mœroris imagine in reliquis adſtantibus conſumptâ, patrium ſenſum imitari penicillo non poſſet; Agamemnonis caput obvolvit, ſummúmque luctum aptiùs celando monſtravit. Magnum aliquid mirúmque laudatiſſimus Ruben facturum ſe credidit, ſi Dilectum Chriſto Diſcipulum ad crucem fingeret oculos ſibi reductâ veſte obtegentem, dum emortui jam Domini latus impii militis lancea peteretur. Neque attendit bonus vir, ipſum illum Ioannem diſertis verbis

in ſacroſancto monumento conſignaſſe, exeuntem ſupremo iſto vulnere cum aquâ ſanguinem ſe vidiſſe, idoneoque rem proinde teſtimonio confirmare. Sic graviter ex incogitantia, ne dicam inſcitiâ, offendit egregia pictura, ſed veritati ac fidei repugnante.

Vt in pictura, ſic in poëſi ex imitatione præpoſtera delinquitur. Nec leviùs profectò Vidas, quàm Sannazarius, decorum violavit in eodem argumento; niſi quòd in Chriſtiade mater *crudelis* non appellat *ſidera*. Quâ verò ſimilitudine Chriſtum, irruenteſque ad eum capiendum milites exprimit!

Non aliter, quàm conjectum cùm in retia rara
Cervum, aut fulmineis metuendum dentibus aprum
Paſtorum circum ſævit manus.

Cum leone quidem comparatum ſcio Chriſtum in Apocalypſi; Deum alibi cum feris etiam aliis; ſed irâ incenſum, ſed ultioni accinctum Deum: qualis certè non extitit eo rerum articulo mitiſſimus, ultroque devotus omnium & dolorum & probrorum acerbitati IESVS. Rectè eum tu varias ob cauſas, Vida, cervum dixeris, ut habet Pſalmi primi & viceſimi inſcriptio: rectè venatoribus ſimiles Iudaici furoris ſatellites nefarios in Chriſtum immiſſos. At Paſtorem optimum, apri nomine deformare; latrones immaniſſimos, paſtores nominare; quænam iſta rerum perturbatio! quàm abſona indecoraque collatio! Paſtorem accommodatiùs dicas à lupis circumfuſum, divexatum, laniatum. Legerat nempe Turni cum cervo, Mezentii cum apro ſimilitudines comparatas. Vtramque voluit conjungere; ſed poſteriorem ab idoneo loco in peregrinum longeque abhorrentem imitatione profana tranſtulit.

Hactenus de vitioſa circa inventionem & diſ-

poſitionem, orationes, motus, ac ſimilitudines imitatione: ſtrictim nunc de ipſâ metrorum coagmentatione imitandâ. Licet nonnunquam carmen integrum, aut levi quadam immutatione adoptare. id egit Maro in Enniano verſu: *Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.* Melius effecit ac robuſtius;

Unus qui nobis cunctando reſtituis rem.

Sic illud Propertii de Marcelli vitâ anguſtis finibus concluſâ;

Tot bona tam parvo clauſit in orbe dies;

Euchariſtiæ Divinæ applices, ultima voce, *dies*, in hanc, *Deus*, converſâ. Verùm hæc alluſio, non germana imitatio eſt. In tetraſtichis illis Magnieni celebratiſſimis, quæ *Horologium Eccleſiaſticum, ſive Officii Divini cum Dominica Paſſione Concentus*, inſcripta ſunt, extat imitatio hæc Virgiliani carminis;

& tamen hæc oculis Deus aſpicit æquis!

plus aliquanto ſumptum velim, ac retentam vocem, *pater*, quæ graviſſimum habuerit pondus, & ſtructuram ipſam carminis elegantiorem præſtiterit. hic latebra non quæritur: patet mutuatio: ſatis eſt motum loco fuiſſe nomen. Stet igitur majoris admirationis cauſa: *& pater hæc oculis Deus aſpicit æquis!* Quam ego notam hîc appono pietatis gratiâ, quoniam iſto concentu ſacro omnia circumſonant. Famianus Strada pluribus Virgilianum expreſſit libri Æn. tertii principium; *Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem* &c.

Poſtquam res Cypri, ſedemque evertere regni
Odryſiæ potuere acies, ceciditque ſuperba
Nicoſia, atque omnis mœret Cythereïa tellus.

Luculentè: ſed illæ tamen voces, *Aſiæ*, *Priami*, nitidiores, quàm, *Cypri*, *regni*, pleniorem gratioremque

tioremque numerum explicant. Materia, non ars, imitantem defecit. Nobis autem, præclarum iſtud è Georg. primo, *neque audit currus habenas*, in poëma de Immortalitate Bethunianâ traducentibus materia favit, Petri cœleſtis poteſtas.

Et claves audit Olympus.

Illa de Turno Virgiliana; *ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro*; conſecutus hic verſus eſt:

Ultro animam ponit Chriſtus, ſéque immolat ultro.

Tum quod adeo magnificè in laudem Cæſaris Maro cecinit; *Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris*; magnificentius redditum eſt argumenti beneficio, de Chriſtianiſſimo, déque Catholico Regibus in Pacificam Inſulam convenientibus. uterque videlicet

Oceanum imperio, famâ tranſvectus Olympum.

Nihil de Centonibus dicam, quorum etiam Hieronymus meminit, Græcorum ex Homero, Latinorum ex Virgilio conſutorum de Chriſto carminum. At hoc laborioſum magis, quàm ſpecioſum inventum, laudabile quidem cùm pietati impenditur, ad veram imitationem non pertinet. Parodia verò, quâ velut imagine ſingula propoſiti ad effingendum poëmatis quaſi lineamenta ducuntur, à Ioan. Bapt. Maſculo frequentata fuit perpetuis lyricorum libris: non vetus illa ad ſerios verſus in ridiculum detorquendos inſtituta; ſed profanos ſenſus ad religioſa ferè argumenta convertens. Sarbievius item odas aliquot Flacci improbas expiavit; ad pietatem, quâ erat ingenii facilitate induſtriaque, vocavit, Et nos ejuſdem Horatii carmen, *Quem virum, aut heroa*, &c. veros ad Cœlites tranſtulimus: Davidis næniam in Saülem & Ionathan, ad Petrum & Paulum Apoſtolos commorientes fleximus. Verùm ejuſmodi imitatio maximè celebrata eſt in Phaſelo Catul-

rata. Operum hæ magnorum, epicorum, tragicorum, inſcriptiones. Similis eſt minorum poëmatum ratio, vel perpetuorum, vel inciſorum. Theocritus modò rei tractandæ caput, modò acturas perſonas Idylliis ſuis inſcripſit. Appellationem iſtam amarunt poëmatia Franciſci Montmorenci, *Idyllia*, ſed *Sacra*, cum Canticis: quæ ſcriptori ſuo veriorem ſplendidioremque gloriam pia poëſis, quàm generis antiquiſſimi nobilitas, peperit.

Virgilius Bucolica ſua, non ille quidem Idyllia cum Theocrito appellavit, ſed Eclogas; quarum unam, re canendâ, Pharmaceutriâ cum illo prænotavit; ceteras, partim perſonâ, quam canentem induceret, præcipuâ, ut Tityro; partim eâ, quam carminis materiem faceret, ut Alexi. Cui poſteriori nomine affinis, argumento longè ac metro diverſa, extat Alexias, elegiarum perelegans manipulus, in D. Alexium compoſitarum à Franc. Remondo; qui celeberrimas urbes Italiæ, & hoc ipſum, ubi nunc ſcribo, gymnaſium Theologicâ doctrinâ poëſique divinâ illuſtravit. At Catalecta, quibus imperfecta ſignificantur opera, demiſſiùs quàm veriùs dixit carmina ſua Poſſinus, omni ſcientiarum genere perfectus, nec minùs quàm Remondus olim, in Romana luce ſpectatus.

Ita Silvæ, opuſculorum feſtinatorum nomen, à Statio crebriſque aliis & veteribus & novis eſt uſurpatum autoribus; libriſque ſuis, non veritatis, ut opinor, ſtudio magis quàm modeſtiæ, præſcriptum. Quâ de re aliquanto plura dicam, cùm in uſu familiari ſit poſita, quem primùm hæc mea ſpectat inſtitutio; ac frequenter ex titulo conjectura de opere univerſo capiatur. Neque opera feſtinationis nomine, ſtatim aut laudanda ſunt, aut reprehendenda; cùm inelegans vitioſaque celeritas meritò explodatur; & felicitas puræ ac pro-

ſluentis venæ nòn ſit certè probro vertenda. Brutæ quidem gemmæ artificis manu expoliuntur laborioſè: at ipſâ naturæ vi ſimul erumpunt ſolis radii, ſimul emicant. *Paucis ſenium confertur & horis* (ut aliquid ex Lucano ad carmen traham & augeā?) ſive felici mentis impetu & afflatu cœleſti, ſive acerrimâ curâ & conſuetudine, temporis iniquitatem compenſante. Velocitatem nimiam ſtyli, rebuſque temere congeſtis levitatem probare Fabius non potuit; ſequendos tamen interdum affectus idem ſanè prudenter admonet, *in quibus ferè plus calor quàm diligentia valet*. Quod ſi locum in oratoribus habet, multò certè amplius in poëtis, qui propriâ mentis vi & quaſi Divino ſpiritu concitentur. Felices profectò, qui ſcribunt ex tempore, perinde ac ſi fuerint diu meditati; aut quibus juſſa meditatíone curaque ſic expeditum abſolutumque carmen eſt, ut, politiſſimum cùm ſit, ſuâ tamen ſponte, labore nullo, natum fuſumque videatur! Ego verò, cum neutram mihi gloriam ſcriptionis arrogem, veniam potiùs ab erudito lectore quæſivi, dum partem carminum meorum quartam, verè Silvas inſcripſi.

Heroicon, à materia nuncupatorum, vocabulo Theandrica Parthenicáque comprehendere nolui, ne quis mihi fortè Scaliger, ut olim Bembo (potuit & Vidæ) litem intendat, etſi hac quidem ratione in Chriſtum quadrare nomen Herois videretur; quòd Heroes antiquitus vocarentur, altero parente Deo, homine altero procreati. Sed qui viros, ſeu morali, ſeu Chriſtiana virtute præſtantes, Heroas poëticè vocavi, ab iis Deum-Hominem, ejuſque Divinam Parentem ſecretos volui.

Simplices quidem titulos eſſe convenit, & inaffectatos, & perſpicuos (quales modò narrati, aliique capite ſecundo primæ Diſſertationis com-

memorati, carminum in rebus Naturæ, in Scientiis & Artibus occupatorum!) idoneæ tamen aliquæ feliceſque alluſiones occurrunt, materiæ ipſi formæque operis congruentes. Cypriani Specula Diſſertationis alterius capite quarto expoſita fuit. Victori Principi è Belgio, cæſis hoſtium copiis, captis urbibus, redeunti quid offerri potuit aptius, quàm Currus Gloriæ ad triumphum? Et Inſula vulgo *à phaſianis* dicta, rerum geſtarum amplitudine gloriáque orbem terrarum complexa, ecquid jure poëtico Inſula Fortunata, ſive Pacis Inſula fuerat appellanda? Quid FERDINANDUS? quàm meritò EVERGETES, à me cognominatus eſt! is,

Qui Latiis.. Vates eximios modis... reſpicit;
Et magno è Padera, quem bene temperat,
Largis muneribus beat; uti Peretius, Poëta nobilis & laureatus, lyricè ad Antonium Verjuſium ſcripſit, poëtam ipſum eximium; quáque apud magnum Ferdinandum gratiâ valet, egregiè de nobis cunctaque poëticâ re promeritum.

Vt à bono auſpicandum nomine veteres aiebant, ita nos in optimum iſtud Ferdinandi nomen fauſtè ſuaviterque deſinamus: & cujus in fide tutelaque opus hoc reponitur, in ejuſdem prædicatione Antiſtitis Principiſque doctiſſimi ac beneficentiſſimi conquieſcat. Propoſitum quidem mihi fuerat, præcipui cujuſque generis integra poëmatia ad calcem hujuſce inſtitutionis apponere, quibus elucerent ſancirenturque præcepta: verùm ne incommodiùs excreſcat liber, talibus hîc exemplis ſuperſedeo, minimè neceſſariis, cùm heroïci carminis, elegiæ, odes, epigrammatis perfectum exemplar jam variis ſuprà locis attulerim. Vnum hoc addam monitum Lectori ſtudioſo, cui *fides, & ingeni benigna vena eſt*; autorem ut profanum corrigens, verè pièque canat;

ADDENDA
ET CORRIGENDA,
Cum aliquot locorum explicatione.

PAg. 21. *poſt verſum* 4. *adde.* Quin Muſæ in procœmio Theogoniæ denuntiant Heſiodo, ſcire ſe vera loqui : & Silenus in prologo Plautino vera ſe fabulari profitetur. Sed hoc ipſum de veritate, quâ formam &c. *Paragrapho proximo, linea* 5. *poſt*, addicuntur ; *ſequentia in hunc modum contexe* : veróne iſthæc potiùs adverſantur, quam commento ? Fabius artem in effectu poſitam, *quæ operis, quod oculis ſubjicitur, conſummatione finem accipit*, Poëticen appellat; *qualis eſt*, inquit, *pictura.* At hæc plerunque in veris exercetur. Talis & ars ſculpendi, ſive fingendi. Nec tamen Alexander, cùm ſe ab Apelle pingi, à Lyſipo fingi voluit, alius à ſe, non verus Alexander voluit exhiberi. Facere, fingere, poëta debet ? materiæ ſcilicet ex arte formam inducere; ſplendidiorem utique eâ, quam marmori ſculptor eboríve dat, quam tribuit metallo aurifex pretioſiſſimo; quod ubi factum vocatur, intelligitur purgatum, procuſum, cælatum : ſculptáq; imago, ficta nominatur. Et à Tullio dicitur, quæ accurata ornataque ſit, facta fictáve oratio. Sic nimirum eſt faciendum fingendumque carmen, vel accuratiùs &c.

Pag. 79 v. 3. *poſt*, incitentur, *adde.* Plinius verò non tantùm ab invocatione orditur panegyricum, ſed uſûs quoque talis rationem adducit. *Bene ac ſapienter, P. C. majores inſtituerunt, ut re-*

Caſſandra canebat. iſtiuſmodi ſunt; *reſpice res*; *telum immane manu*. &c.

Pag 271. v. 9. *ante finem*, *poſt*, ira intus; *adde*. Et faciunt interdum ad magnitudinem ſignificandam; *procumbit humi bos*: interdum ad tenuitatem; *ſæpe exiguus mus*. Ab eodem &c. Quinto infrà verſu, *poſt*, pertinet; *adde*. Sannazarium arguit Scaliger ob hunc verſum, infinitivo deſinentem; *Informeſque domos. obſcuraque regna ſubire*. Atenim Virgilianus iſte finis:

Sed non antè datur telluris operta ſubire.

& aliæ multæ ſimiles clauſulæ.

Iam nonnulla de carminum aliquot citatorum mutatione vel cenſurâ annotabo. Pag. 51. contraxi duo Maronis ex l. 6. Æn. carmina; & *Mareotica*, poſui pro, *Mæotica*; quod facilè patiebatur verſus tertius, & argumentum ipſum poſtulabat.

P. 75. Mirabitur ſanè quiſpiam, §. 1. editum à me, *duplici*, pro *triplici* Virgiliano Auguſti *triumpho*. verùm ad id, quod agitur, duo ſolùm triumphi pertinent, Actiacus & Alexandrinus: ideóque tertius ille à Suetonio memoratus, Dalmaticus eo loci præteritur.

P. 113. v. 30. *pluſquam civiliter*, ex Ovidio, arguere noluerim: ſed, ſi quid haberet hoc ipſum offenſionis, in decurſu poëmatis minùs quàm in primo ingreſſu animadvertendum indicavi. & idem alibi; *pluſquam per cornua ſævi*; ſcripſit ingenioſè; quod voluit. Ac pag 259. non planè ex meo ſenſu culpavi verſum ejuſdem poëtæ ſubſultantem monoſyllabis; ſed communem inſinuavi cenſuram.

Pag. 274. in parag. *Sapphicum*; Baldei quidem *Cantus Durus* ita cœptus eſt. *Luctor. O Germania, pelle, dixi, Languida curas*. at hæc, mumero ſervato, in unum verſum conjeci.

Pag. 298. Excuſari fortaſſe poſſit Apelles iſte,

ſeu Timanthes Chriſtianus, quaſi Ioannem efſinxerit, oculos à viſo jam vulnere averſos, & conſpectum cum aqua ſanguinem lacrymis proſequentes, adductâ veſtis orâ ſiccantem. At ſatius omnino fuerit, & hiſtoriæ ſacræ convenientius, adſtantem cruci Diſcipulum, cujus *fortis eſt ut mors dilectio*, in hunc modum componere, ut intentis defixiſque oculis manantem ex una eademq Domini plaga geminum liquorem obſervet. Quod ſi verè de Græco invento Belga pictor cogitavit; id potius in mœſtiſſima Chriſti Parente videatur fuiſſe exprimendum; niſi ratione habita divinæ illius conſtantiæ, aliò transferendum ſenſit.

Nunc ad Errata Typographica ut veniam; *Pag.* 2. v. 14. *lege* Giganteâ. *Pag.* 14. v. 13. *poſt*, pulchriorem, *adde*, quàm dulciorem. *Pag.* 21. v. 13. *poſt*, fictoque, *adde*, ſæpe. *aut potius hanc paginam reſtitue, ut ſuprà notatum eſt.* *Pag.* 22. v. 6. ſono, *leg.* modo. *Pag.* 38. v. 3. *ſic diſtingue.* Quàm variæ linguis, *Pag.* 49. §. 3. v. 14. *poſt*, Ochcziæ, *adde* geminum. v. *penult. & ult. poſt*, percuſſas, *leg.* in ludibrium vati curribus ... circumſcpto recidiſſe. *Pag.* 54. v. 6. *leg.* apud Rothomagenſes. *dele* Anicienſes. *Pag.* 61. v. 30. & 31. ad ſuavitatem elegantius, *leg.* ad elegantiam ſuavius. *Pag.* 72. v. 16. *poſt*, argumenti, *adde*, geminam. *Pag.* 93. v. 29. *poſt*, itidem, *adde*, proprium ac ſolenne. *Pag.* 104. v. 19. non, *leg.* haud. *Pag* 105, v. 4. *poſt*, Statius, *dele*, in. *Pag.* 107. v. 17. Amſtelíæ. *Pag.* 112. v. 29. atque, *leg.* utque. *Pag.* 113. v. 26. *poſt* verecundia, *dele virgulam.* *Pag.* 115. v. 30. *poſt*, initium hoc, *adde*, libri ſecundi. *Pag.* 116. v. 11. *poſt*, verbo, *adde*, in prima perſona, directè epiceque proponendo, nedum. *ibid.* v. 13. cæſura, *leg.* inciſione. *Pag.* 118. v. 1, *leg.* Priami. *Pag.* 120. v. 8. & 9.

ele invocationem. *Pag.*121. v. *antep. leg.* Georg. *ag.* 122. v. 22. *leg.* felicius. *Pag.* 127. v. 14, Hinc quid, *leg.* Hinc porrò quid. *Pag.* 134. v.23. *poſt*, Homero, *adde*, ac reliquis probis vatibus. *Pag.* 143. v. *ult. conjunge*, exædificato. *Pag.* 145. v.10. *ac ſeq. leg.* Et in Samſonis actione . . . oſtentas? an materiæ, quam reſpuis, ut accerſas invidiam, machinæque neceſſitatem oſtendas? Ac ſi diſſolutio vinculorum erat memoranda &c. *recisis quæ interjacent.* *Pag.* 146. v. 1. virtutis. *Pag.* 156. v. 29. Et. *Pag.* 176. v. ult. *diſtingue*, lumen, flamma. *Pag.* 179. v. 7. poëmatiis. *Pag.* 184. v. *ult.* nulla. *Pag.* 194. v. 7. curſu. *Pag.* 221. v. 29. Auguſtei. *Pag.* 228. v. 5. *leg.* I ſonum habet tenuem, E pleniorem. *Pag.* 236. v. 26. Theandr. III. *Pag.* 239. v. 6. Olympiâ. *ibid.* v. 18. *leg.* inſignitur carmen. *Pag.* 243. v. 13. *poſt*, ſpicula l. 5. *huc transfer, quod eſt infra*; & participia maximè accumulat. Ingens. . . congeſſit. Altera, *Pag.*249. v. 27. Metuum, *leg.* Motuum. *Pag.* 255. (*quæ malè notatur* 243.) v. 3. *poſt*, Ariſtoteles, *adde & lege*; de moribus, æqualiter inæquale. *Pag.* 256. v. 16. unt, *leg.* ſunt. *ibid.* v. 18. vulgarium. *Pag.* 260. v. 20. reſpice res, *leg.* (pares res, Horat.) *Pag.* 262. v. 23. *ante* Illam, *adde*; Obſidam bivias armato ut milite fauces. Armato bivias obſidam ut milite fauces. *Pag.* 268. v. 7. *infra titulum*, ſpondeis. *Pag.* 275. v. 28. Horatiani. *Pag.* 276. v. *antepenult.* vitioſior. *Pag.* 279. v. 31. 32, ad verba, *leg.* ad hæc verba. *Pag.*290. v. 9. edictum. *Pag.* 298. *poſt*, pictoris, *adde*, ut ſuſpicio eſt.

Si qua occurrent alia inemendata; ut litteræ b & h, c & e, f & ſ, n & u, r & t, aliæ pro aliis poſitæ; diſtinctiones & interpunctiones aut

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

A

ACTIACA victoria, *pag.* 70. & *ſeq.* 143.
Allegoria, 12. 30. & *ſeq.* 136. &c.
Angeli, Divinæ Providentiæ Adminiſtri, elementorum Præſides, hominum Tutelares, 45. *& ſeq.* 65. *ac ſeq* 79. 87. 89. Eorum myſticæ formæ & pugnæ, 137. &c.

Ariſtoteles rem veram admittit in materiem legitimam poëmatis, 10. 147. 161. Qualia ſtruxerit argumenta Odyſſeæ & Iphigeniæ, 148. Quid ſenſerit de poëtica dictione, 162. *& ſeq.* 221. Alia ejuſdem Philoſophi de poëticis rebus placita & elogia ſub aliis titulis referentur.

D. Auguſtini ſententia de tragicis, 14. De fabuloſa Theologia, 135. De motibus afflictis Deo & Angelis, 138. *& ſeq.* De fato, 233. De ſtylo, 242.

B

BALZACIUS præmium inſtituit poëticæ in Dei laudem ſcriptioni, 99.

Boëtii Conſolatio Philoſophiæ, 30. &c.

Brevitas in poëmate qualis eſſe debeat, 112. 113. 115. *& ſeq.* 121. 170. *& ſeq.* Ariſtotelis de illa judi-

D d

cium, *ibid.* & 173. Tullii 171. & 184. *ac ſeq.* Senecæ 175. Quintiliani & Plinii, 182. & *ſeq.* Varia in utramque partem inſperſa exempla. Vide infrà Epigramma &c.

C

CANDIA obſeſſa, 109. 240. *ac ſeq.*

S. Caſimirus, Regis Poloniæ filius, B. Virginis cultor eximius, virginitatem vitæ antepoſuit, 278.

Chocimenſe prælium, 189. ad 199.

CHRISTUS, aptiſſima poëſi materies, 9. 10. &c. Verbi incarnatio, 225. Bethlemium ſtabulum, 81. Deportatio Chriſti in Ægyptum, 43. & *aliquot ſeq.* Transfiguratio, 28. *ac ſeq.* Cruciatus, 32. 103. 246. &c. Reſurrectio, 99. 100. 117. Aſcenſus, 100. 267. Iudicium, 236. Sacra Stigmata, 286. Forma amabilis, 8. 64. terribilis, *ibid.* & 65.

Ciceronis narratiuncula, 86. *ac ſeq.* Poëtica varia, 210. & *ſeq.* Ipſius de poëticis ſententiæ paſſim referuntur.

Cometes, 106. 136.

Comœdiæ viles perſonæ, 28. humilis dictio, 215. 276. improbitas, 212.

S. Cypriani ſpecula, 40.

D

DAVIDIS ſacra poëſis, 17. 18. 56. 101. 155. 296. Lacrymæ, 111. 284. &c.

Debora, 37. 130. 239.

Deſcriptiones Trajectûs maris Erythræi &c. 17. *ac ſeq.* Silvæ horridæ, & amœnæ, 177. Pugnæ 194. & *aliquot ſeq.* Caſtrorum, 180. 190. 193. 195.

241. Obſidionis, *ibid.* Agri Regii, 187. & 188. Paradiſi terreſtris, 230. Tartari, *ibid.* & 231. &c. Obſervatio circa Deſcriptiones, 199.

DEVS, ad rem poëticam neceſſariò, ſedulò, varie invocandus, 78. 79. 82. 90. &c. Ss. Trinitas, 243. Providentia, 45. 46. 49. & *ſeq.* Quomodo perturbationes Deo tribuantur, 139. Deo laus omnium tribuenda præciarè factorum &c. neque Divina gloria humanæ officit, 99. 154. *ad* 60. Encomia Dei, 17. 18. 275. &c.

E

ECCLESIA, 31. Ejus fortitudo, 286.

Ecloga, 28. 97. 98. 111. 120. 121. 303.

Elegia, ejuſque materies & natura, 4. 216. exemplum 71. & *ſeq.* Ejuſdem principium, 98. 110. 121. Finis, 209. Structura, Numerus, 272. & *ſeq.* 283. &c.

Epigrammatis exempla, 121. 179. & *ſeq.* 207.

Epilogus in maximis non adhibitus poëmatis, 200. Ejus varii modi, *ibid.* & *aliquot ſeq.* Comicus Epilogus, 210. & *ſeq.* Summa clauſula diligenter accuranda, 207. & *ſeq.* Lapſus quorumdam ſcriptorum in extremo carmine, *ibid.*

Epiſodium quid ſit; 128. 173.

Epitheta convenientiam flagitant, 236. Vnde petantur, 237. & *ſeq.* Figurata & ingenioſa, 230. & *ſeq.* Eorum ſitus & ordo, 241. 242. An uni plura apponere nomini liceat? 243. Appoſita ſacra, 237. & *ſeq.*

Epopœia, poëticum opus maximum, 3. 4. 69. 178. &c. Materies ei ſubjecta, Actio una, illuſtris, heroica, 3. 115. cui ſubeſſe veritas debet, 25. 148. Partes Epici poëmatis, 69.

F

FABULÆ varia notio, 20. *& ſeq.* Fabulæ veterum de diis impiæ, etiam ab Ethnicis agnitæ ſcriptoribus, 11. & *ſeq.* 134. &c.

Ferdinandus Furſtenbergius, Epiſcopus-Princeps Monaſter. ac Paderborn. omni laude cumulatus, 54. Ejus mirifica poëſis, regalis munificentia, patrocinium litterarum &c. 29. 202. *& ſeq.* 215. 217. 244. 250. 305. &c.

Fictio num poëmati neceſſaria? 10. 22. *& ſeq.* Fictionis in rebus ſacris exempla, 30. *& ſeq. ad* 48. 50. *& ſeq.* 61. 64. *& ſeq.* 191. &c. vitioſa fictio, 27. 33. 36. 41. *& ſeq.*

Forma poëmatis, V. voces fabula, *fictio*, & varias poëmatum ſpecies.

S. Franciſcus Borgia 43. *& ſeq.* 102. 110. 206.

D. Franc. Xaverius, 38. *& ſeq.*

G

GENERA dicendi tria, 186. *& ſeq.* 218. 250. &c. 286. *& ſeq.* 230.

Gregorii M. ſententia de ſermonis uſu fabuloſi in ſacris, 232.

H

S. HIERONYMUS fabulæ nomen tribuit etiam rei veræ, 23. Ejuſdem ſententia de Chriſti & Crucis laudatione, 10. De fabuloſis vocabulis, 232. de barbarie ſcriptorum, 253.

Hiſtorici quidam fabulis perſperſi, 132. Nonnulla poëticè ſcripſerunt, 219. Salluſtius & Tacitus ex aliqua parte inter ſe comparati, 151. ac

ſeq. Videſis *Invocatio*, *Narratio*, *Poëtæ*.

Homerus ab Ariſtotele laudatus, 173. ab eodem in aliqua parte reprehenſus, 150. Collaudatus item ab Horatio, cum exceptione 118. Vituperatus à Dione Chryſoſtomo, 1. à Cicerone, 12. &c. Heroibus certos adjunxit deos, 144. Brevitas ejus perſtringitur, cúmque Virgiliana comparatur, 173. *& ſeq.* De Iliade paſſim & Odyſſea.

Horatius ſatiſne ſibi conſtet, 118. *&* 119. Vindicatur à Scaligeriana cenſurâ, 241. *& ſeq.* Laudatur à Quintiliano, 251. Expenditur, 224. *&* 225. Crebra ejus dogmata per omnes diſſertationes adducuntur.

I

IAcobus Apoſtolus, 137. 239.

Imitatio, 20. 289. *ac ſeq. multis.* Exempla, 57. 73. & toto ſparſim opere. Prava Imitatio 298. & 299.

Inferi, 233. *Vide ſupra Deſcriptiones.*

Ss. Innocentes, 47. 50. 51.

Inſcriptio, 205. *Vide Epigrammata.*

Invocatio, *V. ſuprà*, *Deus*; *infrà*, *Proœmium.* adhibetur etiam in Epilogo, 201. etiam ab Oratore & Hiſtorico, 205. & 206. Valerii Maximi invocatio impia, 91. *&* 92. multorumque Poëtarum, *ibid.*

Ioannes Apoſt. 35. 41. 129. 239. 262. 298. illius Apocalypſis, 61.

Ioannes Sobieskius, Turcarum ad Chocimum victor, Poloniæ tunc Magnus Polemarchus, nunc merito ſuo, bonoque publico Rex, 189. 190. &c.

D. Ioſephus. 41. 46. 47. 49. *& ſeq.*

Iſabellæ Auguſtæ cadaver, 110. 186.

Iulius Cæſ. Scaliger in Poëtica jure quædam re-

prehendit in Sannazario, 58. 80. 298. in Vida, 295. perperam alia notavit; in illo, 222. 309. in hoc 97. Nonnihil malè probavit, 41. ſecum ipſe pugnat in Horatii & Claudiani cenſurâ, 241, *& ſeq.* Lepidum ejuſdem erratum, 264.

L

LEMMATA Symbolica in Ferdin. Princip. 54. Licentiæ poëticæ frequenter elegantiæ cauſâ, potiùs quàm neceſſitatis, uſurpantur. 264. *& ſeq.*

Ludovicus Iuſtus, 156. 157. 182.

Ludovicus Magnus, 122. 123. 155. 180. *ac ſeq.*

Lupara; 180. 181.

M

MACHINA poëtica quæ ſit, 151, adhibetur paſſim à veteribus, præſertim ab Homero & Virgilio, etiam in ſolutione fabulæ, 143. 144. 150. *ac ſeq.* etiam citra neceſſitatem, 141. 142. &c.

MARIA Deipara ſpiritum afflat poëticum, 84. 85. Virginis Conceptus Immaculatus, 101. Partus integerrimus, 79. 80, Fuga in Ægyptum, 46. *& aliquot ſeq.* Conſtantia ad Crucem, 269. 298. 280. Imperium, 86. 89. 172. Nicopœa, victoriæ effectrix; quo nomine, ipſius effigies, pompa triumphali ornata fuit ab Imperatoribus Conſtantinopoli, 157. à Philippis Franciæ Regibus ſplendidè culta, *ibid.* à Ludovicis, *ſuprà*; à Summis Pontificibus, 36. 37. Cultus Deiparæ commendatus, 196. Parthenica, 85, 87. 88. 204. Gratulatio Sodalibus Marianis, 206. &c. S. Domus Lauretana, 105. Dicatio Lipſiana 204. 205.

Maſtrilli, equitis Melitenſis, heroicum facinus in Naupactæa pugna, 145. *& ſeq.*

Materia poëmatis, finibus nullis circumſcripta, 2. *ac ſeq.* alia tamen in aliam ſpeciem poëſeos magis convenit, 4. Idoneas eſſe poeſi res ſacras, autoritate, rationibus, exempliſque ampliſſimè, 6. *& ſeq.* totóque adeo opere demonſtratur.

Motus, 246. *& ſeq.* aliíque perfrequentes in ſoluta ſtrictaque oratione.

Moyſes, 16. 17.

N

NARRATIO Poetica qualis eſſe debeat; quid ab hiſtorica differat? 125. 131. *& ſeq.* quid ab Oratoria, 161. Rectúmne amet ordinem, an præpoſterum? 126. *ac ſeq.* Exempla ſoluta ſtrictáque 129. 145. 148. 186. *& ſeq.* Dotes narrationis quatuor latè tractantur, 131. &c.

Naupactæa Victoria, 35. 36. 37.

Nicolaus Comes Serinus, 106. 209. 269.

Nomina fabuloſa, quatenùs uſurpari à poëtâ Chriſtiano poſſint? 66. 67. 231. *& ſeq.* in ſacris etiam litteris quædam leguntur, 232. Chriſtiana quædam nomina delicatiùs non reſpuenda, 234. &c.

Numerus metricus, 278. Inciſa, 280. 286. *ibid. & paſſim* Membra, variæque formæ Periodi.

O

ODÆ circa bellicas quoque res verſantur, 5. maximéque ex inſtituto circa Divina, 4. 9. Earum ſtructura cum aliis poëmatum formis expontur. Deſinunt aliquando in longiora vocabula, 209. Pindaricæ quædam prolixæ, 179. Horatianæ quæpiam breviſſimæ. Quid ſtrophe, quid colon; 85. &c.

Orationes, Directæ, 46. 74. 108. 171. 191. 192. 195. 218. Obliquæ 47. 172. 194.

Ovidius agnoſcit Divinorum tractationem decere potiſſimum & juvare poëtas, 9. Brevius multò proœmium operi metamorphoſeon longiori, quàm Faſtis præfixit, 116. 121. Culpatus ab utroque Senecâ &c. 174. *& ſeq.* aliquid à Propertio mutuatus, 272. à Virgilio multa, 191.

P

PARODIA, 301. *& ſeq.*
Perſonæ poëticæ, 29. 30. *ac ſeq.* 103. 109. 190. 191. 229. 241. 245. 263.
Perſpicuitas unde exiſtat, 162. Quomodo in eam peccetur, 163. Officere non debet eruditioni, aut elegantiæ, 6 . 165. *& ſeq.* Iudicii & intelligentiæ ſubſidia lectori minùs in poëticis verſato, 167. 168. *ac ſeq.*
D. Petrus, 33. 128. &c.
Poëmatis multijugæ ſpecies, 1. 2. 6. Oeconomia ſex in epico genere poëmatum, 26. 43. 48. 72. 73. 76. 128. 189. *& ſeq.* unius elegiaci, 70. &c.
Poëtæ cum pictoribus collati, 25. 134. 135. Hiſtoricis à Plinio prælati, 12 . à Cicerone quodammodo Oratoribus, 218. Eorum idem commendat lectionem, 60, & frequentare ſe teſtatur, 221. De Poëtis critice Fabii Quintil. 2, 1 *& ſeq.* Qui primum Poëtæ ac plurimum legendi, 290. Obſcœni deteſtandi, 57. &c. Decorum præcipuè à Poëtis ſervandum, 25. 28. 30. 42. 49. 79. *& ſeq. multis*. 132. &c. atque inter hæc notantur aliquot in decorum peccata. Poëtæ à D. Paulo citati, 231. Poëtica dictio, magnifica, 11. 153. 15. &c.
Probabilitas 131. *multiſque ſeq.* Summa ineſt Chriſtianis argumentis poetica veriſimilitudo; fabularum, quæ commentitios deos implicant, ſi etiā qua fuit apud ethnicos probabilitas, apud Chriſ-

ſtianos nulla eſt, 11. 12. 13. Sacra profanaque inter ſe inventa conferuntur, 8. 9. 30. *& aliquot ſeq.* 134. *ac ſeq.* 149. 161. &c.

Procemium in magnis operibus epicis flagitatur, 78. Alterum eſt legitimum, *ibid.* alterum ex abrupto, vel ſimplici Propoſitione, 104. *& ſeq.* Vtrum ſejungere à Propoſitione Invocationem ſit neceſſe? 97. Exempla diverſi generis, heroïca, lyrica, elegiaca, 108. *ac ſeq.* Explicantur procemii virtutes, atque à vulgaribus præjudiciis aſſeruntur, 111. &c. Prologus Comicus, 111.

Q

QVINTILIANUS de litterarum Græcarum uſu, Latinis præſtantium, 229. Minùs feliciter, quàm Cicero, alludit ad morem ſcenicorum, 211. Malè arguit Virgilianum carmen, *243*.

R

RACHEL, 47. 50.

Religionis proſopopœia, 191. 245,

Religioſæ vitæ laus, 272.

S

SAMSON, 110. Actio, quâ mille viros concîdit, ecquid apta ſit poemati, amplè diſſeritur, 141. &c.

Schemata, quæ Tropos & Figuras continent, 244. &c.

Scriptura ſacra, multos habet libros Hebraïcè metro illigatos, 16. 61. & ſoluta, poeticam in prophetiis dictionem; in hiſtoriis quoque, & ceteris partibus frequenter, *ibid. ac* 30. 31. Piè ſtudio ſéque legenda, non utilis modò, ſed & jucunda,

18. 60. *& aliquot ſeq.*

M. Seneca refert Meſſalæ in Virgilium animadverſionem, 74. Scauri in Montanum & Ovidium, 175. aliorum in Silonem, 194. Ipſius de P. Latrone & ſubtilitate pronunciatum, 243. &c.

L. Senecæ nota in Ovidium expenditur 175. notatur ipſe à Quintiliano, 176. 252.

Similitudines, 58. 147. 155. 195. 197. 245. 281. 296. Majuſculæ; Iridis, 55. Incendii, Fontis, 283. &c.

B. Stanislaus Koſtka, Poloniæ ac Lithuaniæ Patronus, auſpex victoriæ, 192. 193. 194.

Stylus ad unum in quolibet poëſeos genere principem dirigendus, 41, 290. multa ex aliis tamen duci aſpergíque poſſunt, 241. 290. Varietas alia laudabilis, 250. 255. (quæ perperam inſcripta eſt, 243.) *& ſeq.* alia vitioſa, 251. 253.

Suavitas in rebus & verbis, 8. 62. 186. *& ſeq.* 230. &c. Scriptores optimi Suavitatis rationem habent majorem, quàm perſpicuitatis & brevitatis, 165. 185. &c.

T

THEODOSII M. victoria, cœleſti auxilio parta, 34. *& ſeq.*

Tragœdia perſonas vult illuſtres, 28. argumentum plerumque verum, 148. Tragicæ actioni tempus ab Ariſtotele præſcriptum, 178. Peripetia, *ibid.* Solutio vitioſa per machinam, 150. Quædam in Tragœdia graviùs offendunt, quàm in Epopœia, 151. Peccata in dictione tragica, 176. *& ſeq.* 216. *& ſeq.* 277.

V

VERSUUM ſtructura & artificium multiplex, 257. *ac ſeq. compluribus.* De colliſione & cli-

ſione, déque hiatu, & redundantiâ, 160, *ad* 265. Conſonantia, 266. *& ſeq.* Diſpoſitio pedum, & cæſuræ, in hexametro potiſſimùm, 278. in Pentametro, 272. Lyrico, 273. Iambico & lyrico & tragico, 275. Primi poſtremíque verſûs habenda cura peculiaris, 207. *ac ſeq.* Medea tragœdia deſinit peſſimè, *ibid. varia variorum autorum paſſim carmina adducuntur, laudata pleraque, caſtiganda nonnulla.*

Virgilius maximè ſpectandus & imitandus, 242. 290. & imitatus ipſe multa, ex Catullo nominatim, ſed imitando fecit meliora, 291. *ac ſeq.* Defenditur, 143. 257. *& ſeq.* Artem ſingularem adhibuit circa delectum ſingularum etiam litterarum, 227. *ac ſeq.* Inſignia quædam ejus carmina, 268. &c. De clypeo Æneæ, pugnáque in eo cælatâ, 73. *& ſeq.*

Multa fuerint alia de perſonis rebuſque variis & illuſtribus annotanda; ſed brevitatis cauſâ omittuntur: nec pauca inſuper ex Argumentorum Indice præfixo huic volumini colligentur.

FINIS.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIET. JESU.

EGO CLAUDIUS TEXIER, Societ. JESU in Aquitania Præpoſitus Provincialis; juxta privilegia à Chriſtianiſſimis Regibus HENRICO III. HENRICO IV. LUDOVICO XIII. LUDOVICO XIV. 23. Decembr. 1650. nobis conceſſa, quibus prohibetur omnibus Typographis, ac Bibliopolis, ne libros ab ejuſdem Societ. hominibus compoſitos excudant excudendóſve curent abſque Superiorum Societatis ipſius permiſſu; facultatem concedo JACOBO MONGIRONI-MILLANGIO Typographo Regio & Collegii, & SIMONI BOE' Bibliopolæ, ut *Libros tres de Poëmate*, *à Patre LEONARDO FRIZON è noſtra Societate ſcriptos*, & ab aliquot Societatis ejuſdem Theologis approbatos, typis mandare ad ſex annos proximos liberè poſſint. In cujus rei fidem, has litteras manu propria ſubſcriptas, officiíque ſigillo munitas dedi. Burdigalæ 27. Septembr. 1681. CLAUDIUS TEXIER.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google